EPINICIA SACRA
S. THOMAE
DE AQVINO

Ex Bullis, ac Breuibus Apoſtolicis Nobilioribuſq. Scriptoribus ſelecta à P. Magiſtro

F. VINCENTIO MARIA FONTANA

Reuerendiſſimis Patribus

IOANNI THOMÆ ROCCABERTINO MAGISTRO GENERALI


PROVINCIALIBVS, ET DIFFINITORIBVS ORDINIS PRAEDICAT.

Romæ An. MDCLXX. in Cap. Congregatis D.

ROMAE, Typis Nicolaij Angeli Tinaſſij. M. D C. L X X.
SVPERIORVM PERMISSV.



Eq. Raph. Vannius delin.



CVM
vita
fulguribu
in sui præs
nostra Ana
in medio ✝
do fiat, re
quam semp
sinistra : C
tanti Doct

ıilitantis Ecclesiæ Doctor S. Thomas de Aquino, etsi
ı degeret Angelicam, mugientibus tamen tonitruis,
ıue corruscantibus timore non modico concuteretur;
dium salutare Crucem hanc mirabilem, in Ecclesia
gnina existentem, formauit, cuius lectio à littera C.
sumens exordium, si in superiori parte quocumq; mo-
ert: *Crux mihi certa salus*. Sin in ınferiori: *Crux est*,
r adoro. Si in dextera: *Crux mihi refugium*. Si verò in
ux Domini mecum. Quæ in communem vtilitatem, &
ıris piam venerationem euulgatur.

REVERENDISSIMI PATRES.

CVM militantis Eccleſiæ Doctorem Angelicum S.Thomam de Aquino, illiuſq; ſapientiam, doctrinam, inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata Pontifices Maximi Apoſtolicis encomijs plurimùm illuſtrauerint, quæ aliquibus, tanquam noctuis ad tanti Solis lumen tabeſcentibus, inuiſa, adiudicata ſunt falſa, conficta, atque à noſtris inuenta. Vt eorumdem veriras cunctis illuceſcat, viſum eſt mihi epinicia ſacra ex probatis Bullis, ac Breuibus Apoſtolicis hic referendis, aliorumque præſtantiorum Doctorum ſcriptis emanata, in vnum collecta, ad S. Thomæ gloriam, Ordinis decorem, atque perpetuum veritatis monumentum euulgare, quæ, vt perennent, ſub nominis veſtri clientela publicæ luci dantur. Accipite igitur Patres Reuerendiſſimi donum, quod Religioni noſtræ proficuum credimus, & euntes in mundum vniuerſum illud alijs annnciate, vt laudetur Dei potentia, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. Valete Reuerendiſsimi Patres noſtri Ordinis corona, decus, & ornamentum.

Reuerendiſs. PP.VV.

Humilis Seruus

F.Vincentius Maria Fontana.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatij Apostolici Magister Ordinis Prædicatorum.

EPINICIA SACRA S. THOMAE DE AQVINO.

INNVMERA sunt profectò præconia sacra, quibus quintus militantis Ecclesiæ Doctor, S. Thomas de Aquino, eiusque Angelica doctrina à Summis Pontificibus, publicis Vniuersitatibus, præstantiorumque Ecclesiasticorum Scriptorum calamis fuit illustratus, quæ, ommissis nostris Prædicatoribus, in medium adducere parati sumus, ad maiorem Catholicæ veritatis gloriam, hæreticorumque confusionem, clamantium, *Tolle Thomam, & Ecclesiam dissipabo*.

EX BVLLIS, AC BREVIBVS APOSTOLICIS.

I.

S. Thomas Doctor Angelicus.

Pius V. Pont. M. in Bulla data apud S. Petrum 3. id. April. an. 1567. pontif. 2. Clemens VIII. in Breui ad Comitem Beneuentanum Proregem. Neap. dat. 22. Nouemb. ann. 1603. & Paulus V. in Breui dato ann. 1607. Decemb. 18. infra adducendis.

II.

S. Thomas Diuinæ voluntatis Angelicus interpres.

Clemens Papa VIII. in Breui ad Deputat. Ciuitatis Neapolit. dat. an. 1603. Nouemb. 22. infra adducen.

III.

S. Thomæ doctrina Saluatoris Crucifixi ore mirabiliter probata fuit.

Pius V. in Bulla suprad. & Clemens VIII. in duobus Breuibus ad Ciues Neapolit.

IV.

S.Thomas sine vllo prorsus errore scripsit.

Clemens VIII. in 2. Breui ad Deputat.Ciuit.Neapolit. infra adducen. Frigerius in vita S.Doctoris lib. 1. cap.7. ex Breuiario Ordinis lect. vltima in Octaua eiusd. & alijs.

V.

S.Thomas Apostolicam Ecclesiam, infinitis confutatis hæresibus, illustrauit.

Pius V. in Bulla data an.1567. infra adducen.

VI.

Omnipotentis Dei prouidentia factum est, vt Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cœlestibus Ciuibus adscriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ, & conuictæ dissiparentur.

Idem Pius V. Pont. vbi sup.

VII.

S.Thomæ meritis Orbis terrarum à pestiferis quotidiè erroribus liberatur.

Idem Pius Papa vbi sup.

VIII.

S.Thomas Catholicam veritatem corde, opere, & ore roborauit.

Idem Pont. Pius vbi sup.

IX.

S Thomæ Doctrina, tanquam Benedicta, & Catholica sectanda, & totis viribus amplianda est.

Vr-

Vrbanus Papa V. in suo Breui ad Tolosanos dat. Calendis Septembr. an. 1367. pontif. 6. infra adducen.

X.

S. Thomas, B. Augustini vestigia insequens, Ecclesiam doctrinis, & scientijs quamplurimis adornauit.

Idem Vrbanus V. vbi sup.

XI.

S. Thomas scientiæ doctrina Ordinem Fratrum Prædicatorum, ac Vniuersalem Ecclesiam illustrauit.

Idem Vrban. V. vbi sup.

XII.

S. Thomas in conscribendis libris interdum Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit.

Clemens VIII. in suo Breui 2. ad Neapolit. Ciuitatis Deputatos supra relato.

XIII.

S. Thomæ scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit.

Paulus Papa V. in suo Breui ad Neapolit. dato die 17. Decembr. an. 1607. pontificat. 3.

XIV.

S. Thomas in nobili Regno Neapolitano cùm sanctitatis, & miraculorum gratia, tùm doctrinæ laude clarus extitit.

Idem Paulus V. in suo Breui dato, vt sup.

XV.

Neapolitanum Regnum ad salutarem omnium gentium institutionem, ex nobilissima familia Aquinate

clarissimum lumen S. Thomam dedit Ecclesiæ.

Pius V. in sua Bulla an. 1567. data, sup. relata.

XVI.

S. Thomæ diuino eloquio, & cœlesti doctrina, Neapolitana Ciuitas meritò apud remotissimas nationes, summa Christiani nominis cum laude, atque Ecclesiæ vtilitate, celebratur.

Clemens VIII. in suo breui ad Comitem de Beneuento Proregem Neapolit. dato an. 1603. Nouemb. 22. infra adducen.

XVII.

Angelico Doctori, & nostro, & totius Ecclesiæ nomine plurimum debemus.

Idem Clemens Papa VIII. vbi sup.

XVIII.

S. Thomas de Aquino S. Theologiæ Doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conuersatione, fama clarus, vita clarissimus est.

Io. XXII. Pont. Max. in Bulla Canonizat. S. Thomæ. Data Auenione 15. Calend. Augusti pontif. an. 7. infra adducen.

XIX.

S. Thomas plurima Dei opera in Dei laudem, fideique dilatationem; clara, cum sciens esset; Famosa, cum cognitus, non absque speciali Dei infusione perfecit.

Idem Io. XXII. vbi sup.

XX.

Duo potissimum gloriosi Doctores, Angelicus S. Thomas, & Seraphicus S. Bonauentura clarissimi facul-

tatis

tatis Parisiensis professores, excellenti ingenio, assiduo studio, & magnis laboribus, vigilijs, scholasticam theologiam, quæ maximum Ecclesiæ adiumentum affert, & in catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, hæresibusque confutandis pernecessaria est, excoluerunt, atque ornarunt, eamque optimè dispositam, multisque modis præclare explicatam, posteris tradiderunt.

Sixtus Papa V. in Bulla data Romæ an. 1588. prid. id. Martij pontificat. an. 3. infra referenda.

XXI.

Sanctorum Doctorum Thomæ, & Bonauenturæ Scholastica theologia maximè formidolosa est Hæreticis.

Idem Sixtus Pont. in bulla suprad.

XXII.

Præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sunt.

Alexander Papa VII. in suo Breui ad Academiam Louaniensem dato die 7. Augusti an. 1660. infra adducen.

XXIII.

Ex S. Thomæ sapientiæ, ac doctrinæ scriptis, & traditis, Vniuersalis Ecclesia multiplicem spiritualis vbertatis fructum recolligens, ipsius fructus edore reficitur incessante.

Clemens VI. in suo Breui dato apud Auenionem 8. id. Febr. an. 1344. pontif 2. infra adducen.

XXIV.

S. Thomæ Doctoris sapientia præ cœteris, excepta Ca-

Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum; ita vt nunquam, qui eam tenuit inueniatur à tramite veritatis deuiaſse, & qui eam impugnauerit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.

Innocentius Papa VI. in ſermone de hoc S. Doctore Relato à Flaminio in fine vitæ eiuſdem, pag. 159. impreſſa Bononiæ per hæredes Hieronymi de Benedictis an. 1529. Clemente VII. Pont. Max. & ex Breuiario Ord. ab Apoſtolica Sede approbato, lect. 1. nocturni 2. in octaua eiuſdem S. Doctoris.

XXV.

Scripſit S. Thomas ad litteram tot, & tanta, tam profunda, & alta, quòd mirabile eſt, quod adhoc potuit ſufficere tempus vitæ ſuæ: vnde videtur impoſſibile, niſi fuerit à Spiritu Sancto, & de eodem dicamus, quod ſcribitur Eccleſ. 12. *Cum eſſet ſapientiſſimus docuit populum, quæſiuit verba vtilia, conſcripſit ſermones veriſſimos, & vtilitate plenos.* Et videtur quòd doctrina iſtius Sancti oſtendatur eſſe vera ſupra omnes doctrinas Doctorum modernorum.

Ex Clementis VI. ante pontificatum, Petri Rogerij Card. Rhothomagen. dicti ſerm. 1. de S. Thoma exiſten. Pariſijs in bibliotheca Fochetana, adducto ab Alua Minorita nodo indiſſolubili proſcripto à S. Congregat. Indicis an. 1665. nodo 4. & noſtro Lucarino Ciuitatis Plebis Epiſcopo in ſuo Manuali Thomiſticarum controuerſiarum p. 2. in fine, incipiente. Docebat eos de Regno Dei, *Matth. 21.*

XXVI.

S. Thomas talentum ſibi creditum liberaliter communicauit: neſciuit enim emulationis, & falſitatis, ac vacui-

cuitatis vitium: Quinimmo fuit oraculorum, & secretorum naturalium, & supernaturalium enucleator conspicimus.

Idem Clemens VI. in sermone sup. relato ab eisdem Auctoribus.

XXVII.

Doctor noster S. Thomas Salomoni meritò coequatur,

De Salomone dicitur 3. Regum cap. 4. quòd *praecedebat Salomon sapientia, sapientiam omnium Orientalium, & Aegyptiorum &* Et ipse de se dixit Eccles. 1. *Praecessi sapientiam omnium* (aliàs praecessi omnes sapientia) *qui ante me fuerunt in Hierusalem.* Audacter dico quod iste praecessit sapientia omnes, qui fuerunt ante eum: imò & post eum in Vniuersitate ista Parisien.

Idem Clemens VI. in alio sermone incipien. Ecce plus quam Salamon hic. *Existente in suprad. Bibliotheca Fochetana relato ab eodem Alua, & Lucarino locis supradictis.*

XXVIII.

S. Thomas tot fecit miracula, quot scripsit articulos.

Ex dicto Ioannis XXII. vt refertur in Breuiario Ord. ab Apostolica Sede approbato, lectione pro 4. die per octauam eiusdem Angelici Doctoris. P. L'Abbè ex Societ. Iesu infra adducen. & aliis.

XXIX.

S. Thomas fuit Vniuersalis Ecclesiae lumen praefulgidum, gemma radians Clericorum, Fons Doctorum.

Ex litteris, ac Decretis Vniuersitatis Pariesien. infra referendis.

XXX.

Caeterum pro coronide gloriosa S. Angelici Doctoris ponamu praeconium mirabile Pij V. Pontificis verè Maximi, verè Sanctissimi in Bulla an. 1567. data, & infra referenda.

Sanctus Thomas est certissima Christianae Regula Doctrinae.

Ex

Ex Sanctorum Placitis.

Seraphicus S. Franciſcus Angelici Præceptoris doctrinam in hunc modum commendauit. Cum F. Eleuterius Minorita in difficultatem grauem cuiuſdam quæſtionis theologicæ incidiſſet, nec illius ſolutionem adinuenire poſſet, ad Magiſtrum veritatis, Ieſum Chriſtum Crucifixum confugit, propriumque parentem S. Franciſcum iuterpellauit, vt, ſibi abſconditam veritatem aperire dignaretur. Adfuère illico S. Thomas Aquinas, & S. Franciſcus, atque in medio eorum Beatiſſima Dei Genitrix Virgo Maria binas coronas geſtans, quibus eorundem Sanctorum capita cohoneſtauit; & conuerſus Franciſcus ad filium Eleuterium, Thomam indigitans in hæc verba prorupit, *Crede huic, quia eius doctrina non deficiet in æternum.* Ita P. Frigerius Congregationis Oratorij Sacerdos eruditus, ex ſcriptis Vaticanæ bibliothecæ numer. 3843. in vita S. Thomæ cap. 8.

Et alter S. Franciſcus de Sales ad ſanctimonialem ſibi deuotam ſcribens hæc dixit. *Mi pare che cauaſte per Santo del meſe S. Thomaſo d'Aquino, il più gran Dottore, che ſia ſtato giammai: egli fù vergine, la più dolce ed humil'anima, che poſſa dirſi.* Idem Frigerius vbi ſupra hæc enarrat.

Hieronymus Bernabeus in vita Sancti Philippi Neri ſic ait. *In rebus theologicis Beatus Philippus Sancti Thomæ doctrinam, atque ſententiam ſequebatur, cuius etiam vitæ ſanctitatem mirificè coluit. Quamobrem eius Summam theologiæ in manibus ferè ſemper habebat, & ſi quid aliquando ex theologicis decretis in controuerſiam adducebatur, ſtatim ad Angelicum Doctorem prouocabat.* Hæc ille relatus à P. Frigerio in vita S. Thomæ lib. 1. cap. 7.

DE-

DECRETA
DE DOCTRINA S. THOMAE

SOdali suo Fratri Reginaldo dicere solebat S. Thomas, quicquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quam diuinitùs traditum accepisse: ea propter plura ex sacris Ordinibus emanauere de suscipienda amplectenda, atque defensanda eiusdem S. Doctoris doctrina, decreta, quæ in medium adducemus, suntque sequentia.

Ex Patribus S. Augustini.

Sacer Heremitarum sancti Augustini Ordo in suis Constitutionibus par. 5. cap. 2. de officio, & authoritate Magistri Regentis tale habet decretum. *Vt autem uniformitas quoad alia, in Ordine nostro custodiatur, volumus ut Magistri Regentes in lectionibus, & determinationibus disputationum, in omnibus sequi, & tueri debeant sacram, & catholicam doctrinam fundatissimi Doctoris nostri Aegidij Romani, Vbi verò huius scripta non reperiuntur, ex D. Thomæ doctrina suppleatur*: Fuit autem Aegidius præfatus auditor, & amanuensis S. Thomæ Aquinatis, eiusque doctrinæ sectator egregius, pro cuius doctrinæ defensione librum edidit inscriptum: *Defensorium aduersus corruptorem, seu impugnantem doctrinam D. Thomæ.*

Ex Patribus Congregationis Lateranen.

Patres Congregationis S. Saluatoris Lateranen. Canonicorum Regularium Ordinis D. Augustini in suis Constitutionibus par. 2. cap. 11. de litterarum studijs, tale habent decretum. *Porrò Lectores certam methodum in legendo obseruent. In primis in sacra Theologia viam D. Thomæ sequendam præcipimus, quæ cæteris scolasticorum vijs, in ordine doctrinæ, facultate, integritate, & soliditate meritò præferri debet*. Et ibidem subditur. *Si ambo Theologi ex nostris haberi non poterunt, saltem alter sit ex nostris, alter verò ex*

Ordine D.Dominici, vel ex alio, qui viam D.Thomæ Aquinatis sequatur, quam in nostris scholis sequendam fore mandamus.

Ex Patribus Carmelitis Reformatis.

Sacra Carmelitarum Reformatorum Religio in Constitutionibus Prouinciæ Turonensis Reformationis Gallicanæ sub Reuerendissimo P.Theodoro Stratio editis p.1. cap.21. de studiis, & studentibus tale habet decretum: Pro Theologia quantùm fieri poterit, duo Lectores deputentur in eodem Conuentu, qui vt plurimùm docuerint Philosophiam: manè vnus, alter à prandio legat iuxta ordinem à Diffinitorio præscriptum, ita vt intra triennium tota D.Thomæ *Summa perlegatur*. Et paulo post subditur: *Quod spectat ad D.Thomam, quantum in ipsis erit, illius doctrinam amplectantur cum interpretatione Doctorum Ordinis nostri.*

Ex Patribus Carmelitis Discalceatis.

Inclitus Carmelitarum Excalceatorum Ordo in suis Constitutionibus par. 2. cap. 4. talem habent Constitutionem. *Lectores Theologiæ operam dabunt, sacram doctrinam à Sanctis Patribus, præcipuè à Diuo Thoma traditam edocere; idemque Lectores Artium obseruent; sin minus officio Lectorum priuentur.* Et in eisdem Constitutionibus par. 2. cap. 15. de litterarum exercitiis ita dicitur. *Prælectores, cæterique Fratres vniuersi opiniones malà fundatas, & nouitatem præseferentes deponant, & S. Thomæ doctrinam, tam in Philosophicis quàm Theologicis omnibus sequantur; & quæ in Summa docuit, præferant iis, quæ alibi tradidit.* Et ibidem subditur. *Philosophiæ Lectoriam in Logica, quàm in Physica, & Metaphysica doctrinam D.Thomæ amplectatur, ita vt contra eius doctrinam nihil affirmet. Præleget Auctorem Thomistam à Præposito, vel Prouinciali designandum.*

Ex Patribus Redemptionis Captiuorum.

PP.Regalis quoq; Religionis B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum tale formarunt decretum de D.Thomæ doctrina sequenda. *Ad assequendos Religionis gradus legi debet doctrina Sancti Thomæ*

Thomæ, prout explicatur à nostro R.P. Mag. Zumel: Ita præcipitur in virtute obedientiæ, & statuitur à tribus continuis Generalibus Capitulis celebratis Guadalazari anno 1609. Murciæ intermedio Capitulo an. 1612. & Calatayudi an. 1615.

Ex Patribus Societatis Iesu.

Cum Sanctus Ignatius Loiola singulari pietate erga Sanctum Thomam fuerit affectus, illius incliti filij de tanti Doctoris doctrina hæc in suis Constitutionibus sanxère.

Et primò in Regulis professoris sacræ Theologiæ reg. 1 *Sequantur nostri omnino in scholastica Theologia doctrinam S. Thomæ, eumque vt Doctorem proprium habeant, ponantque in eo omnem operam, vt Auditores erga illum quam optimè afficiantur.*

Insuper in Regula 9. Prouincialis hæc illi præficitur. *Illud autem in primis meminerit, non esse ad Cathedras Theologicas promouendos, nisi qui erga S. Thomam benè affecti fuerint: qui verò ab eo alieni sunt, vel etiam eius parum studiosi, à docendi munere repellantur.*

Ex Constitutionibus nostris, ac Capitulorum Generalium Decretis.

Nefas est apud Prædicatorum Ordinis professores ab illius Angelici Doctoris doctrina, qui sine vllo prorsus errore scripsit, recedere, & hoc fuit expresè vetitum à Patribus nostris quinto ab eiusdem obitu anno Parisiis in Generali Capitulo congregatis an. 1279. Ord. 17. tali Decreto.

Cum venerabilis vir memoria recolenda F. Thomas de Aquino sua conuersatione laudabili, & scriptis suis multum honorauerit Ordinem, nec sit aliqualiter tollerandum quod de se ipso, vel scriptis suis aliquid irreuerenter, vel indecenter Fratres loquantur, & aliter sentiant: Ideo iniungimus Prouincialibus, & Conuentualibus Prioribus, ac eorum Vicarijs, & Visitatoribus,

vt si quos inuenerint excedere in prædictis, eos punire acriter non postponant.

2 Non solùm in Theologicis, sed etiam Philosophicis est D. Thomæ optima doctrina sequenda. Salmanticæ 1551. ord. 10. *Ordinamus item, vt non solùm in sacra Theologia, sed etiam in Philosophia ab omnibus Lectoribus legatur, declaretur, & defendatur semper Doctrina S. Thomæ, sicut mandatum est à Patribus nostris in pluribus Capitulis Generalibus.* Quod in sequenti Generali Capitulo Romæ celebrato ann. 1553. confirmatum fuit, & sic in confirmatione 6. habetur. *Item confirmamus ordinationem in eodem Generali Capitulo* (scilicet 1551. *editam de legenda, & defendenda doctrina S. Thomæ, addentes quòd si quis contra eiusdem Doctoris S. Doctrinam communiter receptam aliquid asseruerit, vel docuerit, priuetur Lectoratus officio, & omnibus gradibus Theologicis.*

3 Sunt ipso facto ab omnibus officijs suspensi recedentes à S. Thomę doctrina. Parisijs 1286. ord. 12 *Item districtiùs iniungimus, & mandamus, vt Fratres omnes, & singuli prout sciunt, & possunt efficacem dent operã ad doctrinam Venerab. Magistri Fratris Thomæ de Aquino recolendæ memoriæ promouendam, & saltem, vt est opinio defensandam, & si qui contrarium facere attentauerint assertiuè, siue sint Magistri, siue Baccalaurei, Priores, & alij Fratres, etiam aliter sentientes, ipso facto ab officijs proprijs, & alijs Ordinis sint suspensi, donec per Magistrum Ordinis, vel Generale*

Capi-

Capitulum sint restituti, & nihilominus per Prælatos suos seu Visitatores iuxta culparum exigentiam condignam reportent pænitentiam.

4 In perpetuum legendi munere priuentur. Apud Podium 1344. ita fuit ordinatum *Mandamus PP. Prouincialibus, vt si quos Lectores inuenerint, derelicta doctrina S. Thomæ, peregrinis, & varijs doctrinis abduci, & eius doctrinam impugnare, eos omni lectione in perpetuum priuent.* Quod etiam apud Carcassonam ann. 1342. in hunc modum fuerat ordinatum. *Cum doctrina S. Thomæ per totum mundum splendeat, & tanquam sana, & solida inter doctrinas omnium Doctorum Ecclesiæ, cum testimonio Magistrorum Parisiensium fuerit solemniter commendata, imponimus Lectoribus, & studentibus vniuersis, vt spretis, & postpositis vanis, & curiosis, ac friuolis, in ea instanter studeant, instruant, & informent.*

5 Qui ab illius doctrina recedere præsumpserint, non solùm legendi munere, sed etiam omnibus alijs gradibus, & dignitatibus sunt in perpetuum priuati. Ita enim habetur Auenione 1561. conf. 5. *Sint etiam in Conuentibus Lectores casuum conscientiæ, & assiduè de ipsis collationes fiant: decernentes quòd quicumque à solida S. Thomæ doctrina recesserint nouitatem sectantes, vel verbo, aut scripto aliquid dixerint contrarium dictæ doctrinæ, ab officio Lectoratus, & à quorumque alio gradu, & dignitate perpetuò sint priuati: super quo Prouinciales diligentissimè inuigilent.*

6 Bo-

6 Bononiæ etiam fuit hoc an. 1564.conf.4. confirmatũ. *Item confirmamus quòd iam olim à multis Capitulis decretum eſt, vt quicumque à ſolida S. Thomæ doctrina receſſerint,nouitates ipſi contrarias,verbo, vel ſcripto inducentes, ab officio Lectoratus, & ab alio quocumque officio, gradu, & dignitate perpetuò priuentur, ſuper quo Prouinciales diligentiſſimè inuigilent, hoc potiſſimùm tempore,in quo manifeſtè compertum eſt illius doctrinam ſummopere neceſſariam eſſe.*

7 Romæ etiã 1569. ord. 5.ſic dicitur. *Item ordinamus confirmãtes quod iam olim à multis Capitulis decretum eſt,vt quicumq;à ſolida S. Thomæ doctrina receſſerint.nouitates ipſi contrarias, verbo, vel ſcripto inducentes,officio Lectoratus,& quocumque alio officio, gradu, & dignitate perpetuò priuentur,ſuper quo Prouinciales diligentiſſimè inuigilent.*

8 Apud Ciſtericum autem 1329. ſexto poſt eiuſdem S.Doctoris Canonizationem anno,ord. 2.ita fuit ſancitum. *Cum doctrina S. Thomæ toti mundo ſit vtilis, & Ordini honorabilis, volumus & ordinamus quòd omnes Studentes in dicta doctrina ſtudeant diligenter: Lectores autem, & Curſores ipſam doctrinam in ſuis lectionibus,& diſputationibus pertractent,& cõcluſiones eiuſdem Doctoris finaliter teneant: & ſi contra ipſam doctrinam rationes adducant,illas teneantur ſoluere, & quantùm poterunt illas ſtudeant efficaciter annullare. Quicumque autem contrarium inuentus fuerit attentaſſe, per Priores Prouinciales, vel eo-*

rum

rum Vicarios priuentur officio lectoriæ.

9 Romæ pariter 1571. confirmat. 6. ita asseritur. *Item confirmamus quod à multis Capitulis ante ordinatum est: vt si quis à solida S. Thomæ doctrina recesserit, officio Lectoratus, & quocumque alio gradu perpetuò priuetur, super quo Prouinciales, & Visitatores diligentissimè inuigilent.*

10 Barcinone etiam 1575. conf. 6. sic dicitur. *Item confirmamus quod in frequentibus Capitulis est ordinatum, vt si quis à solida S. Thomæ doctrina recesserit, officio Lectoratus, & quocumque alio gradu perpetuò priuetur, super quo Prouinciales diligentissimè inuigilent.*

11 Valentiæ 1569. 6. Admonit. 1. etiam pro Prædicatoribus idem sancitum est. *Admonemus Magistros omnes, Baccalaureos, & Lectores, vt memores sint eorum, quæ habentur in declaratione nostrarum Constitutionum dist. 2. cap. 14. de Studentibus §. 1. verbo.* Circa studentes *circa doctrinam gloriosissimi Doctoris nostri Angelici D. Thomæ Aquinatis, quam legere, declarare, sustentare, & defendere tenētur; contrarium verò facientes, in pœnam debent suis officijs, & gradibus priuari, & ad omnia alia inposterum inhabiles reddi, sicuti præsenti statuto priuantur, & inhabiles redduntur. Pariter & concionatoribus sub eisdem pœnis mandamus, ne aliquid contra eandem doctrinam populis proponere audeant.*

12 Voce actiua, & passiua etiam sunt priuandi.

Bo-

Bononiæ 1615. cap. de Reformat. Stud. *Ordinamus, prout in aliјs Capitulis General. ſæpe decretum fuit, & omnibus Regentibus, Baccalaureis, Magiſtris ſtudentium, & Lectoribus noſtri Ord. ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & omnium officiorum, graduum, ac inhabilitationis perpetuæ ad omnes gradus ſuſcipiendos, præcipimus, vt doctrinam S. Thomæ in ſcholis omnibus, ſiue Vniuerſitatibus ſecularium, ſiue noſtri Ordinis doceant, defendant, atque ſecundùm Auctorum noſtrorum, qui verè Thomiſtæ ſunt ſenſum, ſententiam, & loquendi modum in ipſorum commentarijs expreſſum, explicatam proponant & interpretentur.*

13 Vlyſſipone autem 1618. conf. 6. ita mandatur. *Confirmatur id, quid in pluribus Capitulis ordinatum, præcipuè Valentiæ 1596. ad memoriam reuocatum eſt, vt videlicet Magiſtri, Baccalaurei, & Lectores memores ſint eorum, quæ habentur in declaratione noſtrarum Conſtitutionum diſt. 2. de ſtudentibus, circa doctrinam glorioſiſſimi Doctoris noſtri Angelici D. Thomæ Aquinatis. quam legere, declarare, ſuſtentare & defendere tenentur: contrarium verò facientes officio, gradu, & dignitate perpetuò ſint priuati.*

14 Non ſolum eius illibatam doctrinam ſequi, ſed etiam ſecundum eiuſdem aſſertiones determinare tenemur. Cæſarauguſtæ 1309. ord. 2. *Item volumus & diſtrictè mandamus, iniungimuſque Lectoribus & ſublectoribus vniuerſis, quod legant & decterminent,*

ſe-

secundùm doctrinam, & opera Venerabilis Doctoris (tunc non erat adhuc inter Sanctos relatus) *Fratris Thomæ de Aquino, & in eadem scholares suos informent, & studentes in ea cum diligentia studere teneantur; qui autem contrarium fecisse notabiliter inuenti fuerint, nec admoniti voluerint reuocare, per Priores Prouinciales, vel Magistrum Ordinis sic grauiter, & celeriter puniantur, quòd sint cæteris in exemplum.*

15 Metis autem an. 1313. ord. 8. sancitum fuit esse etiam grauiter puniendos, qui aliquam opinionem contrariam illi, quæ communiter creditur eiusdem Sancti Angelici Præceptoris, sustinuerint. *Item cum doctrina Ven. Doctoris Fratris Thomæ de Aquino sanior, & communior reputetur, & eam Ordo noster prosequi teneatur: inhibemus districtè quod nullus Frater legendo, determinando, respondendo audeat assertiuè tenere contrarium eius, quod communiter creditur de opinione Doctoris prædicti* (etiam nondum tunc erat inter Sanctus relatus) *nec recitare, aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem Doctorum sententiam in ijs, quæ ad fidem, vel mores pirtinere noscuntur, nisi reprobando, & statim obiectionibus respondendo: Quicumque autem per Prouincialem, vel eius Vicarium, qui super ijs inquirere teneatur, ex certa scientia in aliquo præmissorum inuentus fuerit deliquisse per eosdem, cum legitimè constiterit, à Lectoratus officio, vel studio*

absoluatur in pœnam, si tamen alias [de] huiusmodi sit notatus; quod si ex talibus opinionibus scandalum sit subortum, volumus quod acrius puniatur, & ad reuocandum nihilominus compellatur. Ex quibus animaduerte Lector in quanto semper fuerit pretio apud nostros D. Thomæ doctrina, etiam nondum iter Sanctos relati.

16 Non solum D. Thomæ doctrina est à nobis in sententiis sequenda, sed etiam in proprietate verborum defensanda. Parisiis 1611. ord. 6. *Ordinamus, & alias pluries ordinatum confirmamus, & præcipimus omnibus, & singulis Sacræ Theologiæ Magistris, Baccalaureis, Lectoribus, & Prædicatoribus, vt in suis lectionibus, disputationibus, decisionibus, prædicationibus, aut compositionibus nunquam recedant à solida Angelici Doctoris nostri S. Thomæ doctrina, eamque non solum in sententia, sed & in proprietate quoque verborum vbique referre, ac tueri conentur. Qui contra fecerint, priuentur gradibus, et pœna grauioris culpæ subijciantur.*

17 Omnes Magistri, Baccalaurei, Lectores, ac Prædicatores in verbo D. Thomæ iurare tenentur. Romæ 1629. conf. vltima. *Confirmationem alias factam, vt Magistri omnes, Lectores, & Prædicatores, tam verbo, quàm scripto S. Thomæ Doctoris nostri doctrinam in omnibus fideliter sectentur, ac tueantur: nec ab ea recedere sub pœna priuationis quorumcunque graduum, & officiorum, perpetuæ inhabili-*

tatis

tatis ad ea recuperanda, sub quouis prætextu audeant. Propterea etiam confirmationis, & inuiolabiliter obseruari mandamus, quod alias statutum est, vt in institutione quorumcumque Magistrorum, Baccalaureorum, Lectorum, ac Prædicatorum teneatur quilibet ad huiusmodi gradus, & officia promotus, immediatè post fidei prolatam professionem iurare se Sancti Thomæ Aquinatis doctrinam in omnibus sectaturum.

18. Vt autem cunctis innotesceret quanto in pretio semper fuerit habita nostri Sancti Angelici Magistri doctrina, in Capitulo Metis an. 1313. habito nullum in studentem Generalis Studij Parisini recipiendum fore, nisi diligentem prius nauasset operam doctrinæ eius tribus annis, ita sancitum fuit ord. 8. *Nullus etiam ad Studium Parisiense mittatur, nisi in doctrina Fratris Thomæ saltem tribus annis studuerit diligenter.*

At quod mirabilius est. Cum in Cælum sublato Sancto Doctore aliqui Lectores Ordinis in Prouincia Angliæ de illius sententiis non ea, qua par erat, reuerentia loquerentur, re ad Generale Capitulum Mediolanense quarto eiusdem Sancti obitus anno, nempe 1278. delata, quid in hoc negotio Patres præstiterint, ex ordinatione vltima eiusdem Capituli, ita habetur. *Item iniungimus districtè Fratri Raymundo de Medullione, & Fratri Ioanni Vigoroso, quod cum festinatione vadant in Angliam in-*

quisituri diligenter super facto Fratrum, qui in scandalum Ordinis de scriptis Venerabilis Fratris Thomæ de Aquino obloquntur, quibus ex nunc plenam damus auctoritatem in Capite, & in membris, qui quos culpabiles inuenerint in prædictis puniendi extra Prouinciam emittendi, & in officio priuandi plenam habeant potestatem. Quod si vnus eorum casu aliquo legitimo fuerit impeditus; alter eorum nihilominus exequatur, quibus Priores de socijs competentibus, quos ipsi ad hoc officium exeq uendum idoneos iudicauerint, teneantur, quandocunque requisiti fuerint, prouidere.

Plura Sacra Epinicia à præstantioribus scriptoribus S. Thomæ Angelico Doctori decantata in vnum complexa ex Petro Pellican hic damus.

D. Thomæ de Aquiuo.

Patris ac fontis luminum radio,
Æternæ sapientiæ voci,
Spiritus sancti ori, & linguæ,
***S*anctissimæ Trinitatis oraculo,**
Incarnati Verbi splendori.
Iesu Crucifixi Discipulo. 1.
Mariæ Virginis Matris à cunis Alumno. 2.
Eiusdem in dubijs clienti. 3.
Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli 4.
Auscultatori.
Angelorum Socio. 5.
Sancto Thomæ Aquinati
Viuo

Diui-

Diuinæ Voluntatis interpreti
Angelico. 6.
Doctori Angelice tractanti omnia. 7.
Vniuersalis Ecclesiæ Sponsæ Christi Militantis
Soli, Lunæ, Lumini
Stellæ matutinæ mundo prehemineuti. 8.
Luminari maiori diei præsidenti
Iubari splendidissimo in lucem sæculi
Totum mundum illuminanti. 9.
Illustrissimo Christiani Orbis decori. 10.
Gemmæ Clericorum radianti
Seculo clarissimo
Candelabro insigni, & lucenti
Parisiensis Academiæ Doctorum fonti. 11.
Sanctissimo inter doctissimos
Doctissimo inter Sanctos. 12.
Flori, ac Principi Theologiæ. 13.
Antesignano omnium Doctorum, ac scholasticorum signifero 14.
Adamanti Theologo
Theologorum Theologo
Theologorum Coryphæo
Alpha litterarum omnium
Omnis litteraturæ delitijs
Veritatis vnico Artifici, & Architecto
Celebri Ecclesiæ Doctori. 15.
Immensio Aquinati. 16.
Eucharistico Thomæ. 17.
Gentium Doctori. 18.
Omnium horarum homini. 19.
Omniscio. 20.
Si non ab Apostolis primo

Si

Si non ab Apostolis primo,
Omnes cum illo secundi. 21.
Abysso sapientiæ, donorum ac virtutum omnium. 22.
Excellentissimo, nunquam satis laudato. 23.
Expositori. 23.
Primo, medio, & nouissimo sapientum omnium. 24.

De illius Doctrina.

Huius Sancti Doctrina diuinitus infusa. 25.
Quam ad fontem diuinitatis contemplando
Ascendens, ebibit. 26.
Ex Abysso sapientiæ salutaris hausit. 27.
Non solùm à Christi Vicario
Sed ab ipso Domino Iesu crucifixo approbata. 28.
Certissima Christianæ regula doctrinæ. 29.
Qua fulget Ecclesia vt sole luna. 30.
Veritas dicta, illius sermones veri. 31.
Veridica Catholica,
Omnibus ab Ecclesia proposita. 32.
Vt lux splendens, crescit in perfectum diem. 33.
Orbi terræ salubris. 34.
Excepta Canonica, omnibus certior. 35.
Fœcundat, Reficit, Recreat, 36.
Verior, Clarior, Vtilior, Latior. 37.
Opera sole clariora. 38.
Expressa Domini voce comprobata audiuit, 39.
In Aeternum duratura. 40.
In ea nihil infirmum, nihil medium,
Sed totum sublime, & optimum, 41.
Optima assiduè meditans, subtilius aliis protulit. 42.
In Theologia nullus sublimior,
In Mathematica nullus acutior,

In Philosophia nullus profundior,
In Logica nullus sublimior. 43.
Tacente Thoma, mutus est Aristoteles. 44.
Veritatis Explorator. 45.
Huic merito iura exponendi sunt concessa. 46.
Græcis curiosior, Verior, & Clarior. 47.
Stilus Breuis, Grata facundia,
Cella, clara, firma sententia. 48.
Solus Thomas sufficit. 49.
Vnus instar omnium. 50.
Quantum illi, tantùm iste lucis altulit. 51.
In Augustino solus magis verfatus. 52.
Omnes hæreses ante se, & post se profligauit. 53.
Solus sufficit ad tuendum. 54.
Tot miracula, quot articulos fecit. 54.
Enigmata dissoluit, nodos rescindit,
Fallacias eludit, nubes obscuras resoluit. 55.
In Cœlis Ecclesiæ Concilijs assidet
Qui in terris absuit. 56.

Auctores ex quibus sacra præfata Epinicia selegit Petrus Pellican. noster Doctor Parisien. sunt.

Idem Pellican in tomo XX. operum D. Thomæ, in quo Opuscula Theologica Moralia recensentur, impress. Parisijs an. 1660.

1. Ex eius vita, Clemens VIII. Pont. in Breui 1. ad Neapolit.
2. Ex eius vita, & Io. XXII. in Bulla canonizationis illius.
3. Ex eius legenda Breuiarij Ord. & Nugn.
4. Ex eadem legenda. Clemens VIII. in 2. Breui ad Neapolitanos.
5. Clemens VIII. vbi supra. & Petrus l'Abbe in suo elogio.
6. Idem Clemens vbi supra.

7. An-

7. Angelus Rocka Episcopus.
8. Ex epistola & decreto Vniuersitatis Parisiensis.
9. S. Vincentius Ferrerius.
10. Ex lectionibus Breuiarij.
11. Ex epistola Stephani Episcopi Parisiensis.
12. Cardinalis Bessarion Nicenus.
13. Stanislaus Hozius Cardin. Io. Episcopus Roffen.
14. Mart. Azpilcueta Nauarrus, Martin Persius.
15. Titelman Ordinis Minorum ex Basilio Pontio de iurament.
16. Caietanus Cardinalis.
17. De la Cruz.
18. Ex Summa contra Gent.
19. Ferrariensis epistola ad Clementem VII. Pont.
20. Titelman Minorita.
21. Io. Baptista Egnatius.
22. Ex Nom. niz.
23. Gaspar Contarenus Cardinalis. Nazarius.
24. Suessanus.
25. Titelman Minorita.
26. Ex lect. Breuiarij Ord. Bulla canonizationis eiusdem.
27. Aegidius Rom. Card.
28. Paulus Cortesius.
29. Card. Caietanus epist. ad Heildeb.
30. S. Vincentius Ferrerius sermone de S. Thoma.
31. Pius V. in Bulla data 1567.
31. Ex epistola Steph. Episcopi Parisien.
32. Aegidius Romanus Card. Augustin.
33. Vrbanus Papa V. in Bulla ad Tholosanos.
34. S. Antoninus Archiep. Florent. 3. p. hist.
35. Ex eadem epistola Stephani Episc. Parisien.
36. Innocentius Papa VI. serm. Ecce plus quam Salomon hic.

37 Cle-

37. Clemens VI. Papa ex Grauina p.2. vox turt. cap. 12.
38. Syluius.
39. Card. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast.
40. Clemens Papa V. in Breui ad Neapolit.
41. S. Franciscus de Assisio ex Ioanne à Iesu Maria, & Paulo Frigerio infra adducendo.
42. Martinus de Vienna.
43. Bartholomæus Camerarius.
44. Thomas Phædrius.
45. Picus Mirandulanus.
46. Franciscus Vargas Hispanus.
47. Suessanus.
48. Idem Suessanus.
49. Ex Breuiario Ord.
50. Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolit.
51. Cardinalis Toletus ex Societate Iesu.
52. Idem Card. Toletus.
53. Cardinalis Guillelmus Alanus lib. de Sacram.
54. Pius Papa V. in Bulla suprad.
55. Gennadius Patriarcha Constantinopolit.
56. Ex Ioane Papa XXII. & Breuiario Ord.
57. Antonius Campanus Episc. ex Nugnio, & Nazario.
58. Io. Burgen. Episc. in oratione ad Patres Concilij Trident. Ex Salmaticen. & Compluten.

Plura alia elogia Diui Thomæ emanauère ex scriptorum calamis, quæ recensere superfluum iudicamus, hoc vnum P. L'Abbe ex Societate Iesu, tanquam nobilissimum, pro omnium coronide adducentes.

THomas Angelus erat, antequam esset Doctor Angelicus. Angelorum discipulus, & penè æmulus fuit.

Multa ab Angelis didicit, quædam Angelos docère potuit,
Aut Theologíam ad terras deduxit è cœlo,
Aut sciuit in via, quod videtur in patria.
Audiuit Apostolus arcana verba, sed illa tacuit
Quæ Paulo dicere non licuit, hæc Thomas dixit.
Mysteriorum compendium est Summa Thomæ.
Collegit in ea quidquid doceri potest aut sciri.
Inclusit Hieronymos, Augustinos, Ambrosios, Gregorios
Inclusit se ipsum, maior se ipso, & minor.
Epitomen fecit alienæ sapientiæ, & Summam suæ
Didicit omnes, qui Thomam intelligit.
Nec totum Thomam intelligit, qui omnes didicit.
Augustinus aliquando obscurus, apud Thomam est clarus.
Vbi alij dubitant, Thomas non ambigit.
Vbi omnes desinunt, inde incipit
Inde progressus, eò ascendit, quò nemo præiuerat.
Sequitur præuiam fidem, & eam ducit.
Sociam facit Theologiam fidei, & Magistram.
Ostendit quidquid illa credit.
Neque aliud superest nisi lumen Gloriæ post Summam Thomæ.
De Deo loquitur, quasi vidisset
De Angelis sic disputat, quasi Spiritus esset.
Ingenerat horrorem peccati, dum ostendit
Amabiles facit virtutes, dum describit.
Incarnatum Verbum sic explicat, quasi vox Verbi.
Siste aliquando Thoma, peruenit ad summum Summa tua
Ire vlterius non potes, nisi aliquid quæras post omnia.

BENE

Benè ſcripſiſti de me Thoma.

Probat ſcripturam hominis qui character eſt Dei
Si lete linguæ, vbi Deus laudator eſt.
Fallere non poteſt qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent homines Thomam Angelum Theologię.
Dicant Pōtifices Summā tot miraculis conſtare, quot titulis.
Plus dicit vna vox BENE
Chriſtus eſt Verbum Patris, Thomas aduerbium filij.

Quam ergo mercedem accipies.

Quam benè ſcripſerit, collige ex teſtimonio.
Quam benè vixerit, diſce ex præmio.
Vt ſcias meritum virtutis, datur optio præmij
Quid eligat niſi Deum, qui nouit prætium Dei?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus.
Malè ſcripſerat ſi aliter elegiſſet.

P. Petrus L'Abbè Societatis Ieſu.

BVLLAE
AC BREVIA APOSTOLICA.
In fauorem S. Thomæ emanata.

CVm S. Thomas pluribus fulgèret miraculis, ſibique deuotis fidelibus multa præſtaret beneficia, cogitauerunt Patres noſtri de illius canonizatione. Quapropter formato proceſſu de virtutibus, vitæ ſanctitate, atque miraculis eiuſdem ex mandato P. Heruei Magiſtri Ordinis, Auenionem, vbi Ioannes XXII. Pont. cum Apoſtolica Curia reſidebat, miſſi ſunt Procuratores FF. Gulielmus de Tocco Beneuētanus Prior, & Robertus de Bentuento, qui Siciliæ Regis, apud eundem Pontificem Max. exiſtentis, protectione freti, negotio maturè diſcuſſo,

voti compotes effecti fuere, ipso Thoma Aquinate in Auenionen. Cathedrali solemni canonizationis ritu inter sanctos relato die 18. Iulij an. 1323. sequenti Apostolica Bulla in honorem ipsius S. Doctoris expedita, quæ in Bullario nouo inter Constitutiones eiusdem Pont. refertur.

BVLLA

IOANNIS VIGESIMI SECVNDI

In Bullario Nouo Romæ impresso inter Constitutiones Ioannis XXII. existens.

IOANNES EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Vniuersis, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, alijsq; Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.

REdemptionem misit Dominus populo suo, cum Dei Verbum in Virginalis vteri thalamo Sancti Spiritus cooperatione conceptum, caro factum est, & habitauit in nobis, verbo suo nos instruens, exemplo docens, cœlestia referans, occulta miraculis roborans, ac sacri eloquij testimonijs futura eadem esse confirmans. Tandem se Deo Patri in ara crucis hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore detersit, descendensque ad inferos, ac die tertia resurgens à mortuis, & per quadraginta dies apparens discipulis, & loquens de regno Dei, ipsis cernentibus est eleuatus in Cœlum, & captiuam ducens captiuitatem dedit dona hominibus, quibus patescere Cœlum innotuit, reserata dudum clausa, in se credentibus, ianua Paradisi. Patet ergo cœlum credentibus, patet humilibus, patet etiam ijs, qui honestatis, paupertatis, & obedientiæ votis, se Deo (à quo stulti per inobedientiam discesserunt) voluntaria sponsione deuouent. Regnum enim Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum

pro-

proprijs subactis affectibus, violentia quadam ad superiora conscendunt.

Hæc igitur B. THOMAS DE AQVINO Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Theologiæ Doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conuersatione, FAMA CLARVS, VITA CLARISSIMVS, sedula meditatione reuoluens, & attenta deliberatione discernens, dum adhuc infra pubertatis annos existeret, ipsius Ordinis Prædicatorum habitum suscepit, in eo, (inuito etiam patre, qui eius fœlicibus actibus inuidebat) constantius mansit, ac in ipso tandem regularem professionem emisit, vbi in breui adeo, scientia, vita, & moribus profecit, vt ætate adhuc iuuenis ad Sacerdotium promoueretur, & ad eiusdem Theologiæ magisterium, Parisijs, loco vtique celeberrimo assumptus, magno inibi sui, suique Ordinis, ac Parisiensis studij fauore per multorum annorum curricula cathedram regeret magistralem. Quippe cum illi vita existentiam, conuersatio famam, doctrinam pareret opinionem, opera diuulgationem, eademque, tam breui confecta tempore, admirationem merito exhiberent, vt illud Psalmi, *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra*, in eo verissimè impleretur, quod thema idem Sanctus, dum esset in sacra pagina inceptutus assumpsit, quodque (vt fertur) reuelatione sibi post suam orationem facta didicerat, dum propter iuuentutem suam se inhabilem ad magisterium reputās, quid proponeretur in instanti principio hæsitaret. Nam & in primitijs scientijs, & diuersis Philosophiæ partibus, vt non esset otiosus, sed operaretur terram; nec non in Sacrę Scripturę pagina, tam super nouum, quàm vetus testamentum scripta, plurimaque alia Dei opera in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque studentium, clara (cum sciens esset;) famosa, (cum cognitus) NON ABSQVE SPECIALI DEI INFVSIONE PERFECIT. Doctrina quippè prudentium facilis, & omnino scientis signum est posse docère. Profecit vtique vir peritus à terrenorum ambitione remotus; & ad cœlestium assecutionem intentus, perfecto vacans studio, intendebat Deo, prætermittebat terrena, vt assequeretur æterna; prætermittebat diuina, vt roboraretur in schola; cum singulis diebus antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, missam vnam celebraret, aliam audiret, vel duas integras Missas,

si non

voti compotes effecti fuere, ipso Thoma Aquinate in Auenionen. Cathedrali solemni canonizationis ritu inter sanctos relato die 18. Iulij an. 1323. sequenti Apostolica Bulla in honorem ipsius S. Doctoris expedita, quæ in Bullario nouo inter Constitutiones eiusdem Pont. refertur.

BVLLA
IOANNIS VIGESIMI SECVNDI

In Bullario Nouo Romæ impresso inter Constitutiones Ioannis XXII. existens.

IOANNES EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Vniuersis, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, alijsq; Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.

REdemptionem misit Dominus populo suo, cum Dei Verbum in Virginalis vteri thalamo Sancti Spiritus cooperatione conceptum, caro factum est, & habitauit in nobis, verbo suo nos instruens, exemplo docens, cœlestia referans, occulta miraculis roborans, ac sacri eloquij testimonijs futura eadem esse confirmans, tandem se Deo Patri in ara crucis hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore detersit, descendensque ad inferos, ac die tertia resurgens à mortuis, & per quadraginta dies apparens discipulis, & loquens de regno Dei, ipsis cernentibus est eleuatus in Cœlum, & captiuam ducens captiuitatem dedit dona hominibus, quibus patescere Cœlum innotuit, reserata dudum clausa, in se credentibus, ianua Paradisi. Patet ergo cœlum credentibus, patet humilibus, patet etiam ijs, qui honestatis, paupertatis, & obedientiæ votis, se Deo (à quo stulti per inobedientiam discesserunt) voluntaria sponsione deuouent. Regnum enim Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum pro-

proprijs ſubactis affectibus, violentia quadam ad ſuperiora conſcendunt.

Hæc igitur B. THOMAS DE AQVINO Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Theologiæ Doctor, nobilis quidem genere, ſed nobilior conuerſatione, FAMA CLARVS, VITA CLARISSIMVS, ſedula meditatione reuoluens, & attenta deliberatione diſcernens, dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret, ipſius Ordinis Prædicatorum habitum ſuſcepit, in eo, (inuito etiam patre, qui eius fœlicibus actibus inuidebat) conſtantius manſit, ac in ipſo tandem regularem profeſſionem emiſit, vbi in breui adeo, ſcientia, vita, & moribus profecit, vt ætate adhuc iuuenis ad Sacerdotium promoueretur, & ad eiuſdem Theologiæ magiſterium, Pariſijs, loco vtique celeberrimo aſſumptus, magno inibi ſui, ſuique Ordinis, ac Pariſienſis ſtudij fauore per multorum annorum curricula cathedram regeret magiſtralem. Quippe cum illi vita exiſtentiam, conuerſatio famam, doctrinam pareret opinionem, opera diuulgationem, eademque, tam breui confecta tempore, admirationem merito exhiberent, vt illud Pſalmi, *Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra*, in eo veriſſimè impleretur, quod thema idem Sanctus, dum eſſet in ſacra pagina inccpturus aſſumpſit, quodque (vt fertur) reuelatione ſibi poſt ſuam orationem facta didicerat, dum propter iuuentutem ſuam ſe inhabilem ad magiſterium reputās, quid proponeretur in iſtanti principio hæſitaret. Nam & in primitiis ſcientijs, & diuerſis Philoſophiæ partibus, vt non eſſet otioſus, ſed operaretur terram; nec non in Sacrę Scripturę pagina, tam ſuper nouum, quàm vetus teſtamentum ſcripta, plurimaque alia Dei opera in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque ſtudentium, clara (cum ſciens eſſet;) famoſa, (cum cognitus) NON ABSQVE SPECIALI DEI INFVSIONE PERFECIT. Doctrinā quippè prudentium facilis, & omnino ſcientis ſignum eſt poſſe docère. Profecit vtique vir peritus à terrenorum ambitione remotus; & ad cœleſtium aſſecutionem intentus, perfecto vacans ſtudio, intendebat Deo, prætermittebat terrena, vt aſſequeretur æterna; præmittebat diuina, vt roboraretur in ſchola: cum ſingulis diebus antequam lecturus aſcenderet cathedram, vel diſtraheretur ad alia, niſi ſam vnam celebraret, aliam audiret, vel duas integras Miſſas,

ſi non

si non celebrasset, audiret, in quibus, & aliàs in oratione (cum in illa foret assiduus) lachrymarum effusione mentis suę dulcedinem, deuotionemque Deo, cui nihil est absconditum, reuelabat. Cumque castitatis nitore candèret, parsimonia deuota custodiebat humilitatem, hanc eandem sobrietate medica nutriebat, adeo vt multi eum in carne, virginitate mansisse incorruptum æstimarent. Quod eiusdem sancti confessor ordinis memorati, qui longo tempore ipsius confessionem audierat, publicè (vt ad nos testimonio fide digno peruenit) coram omnibus die defunctionis eiusdem asseruit dicens: ego confessionem generalem istius Sancti Viri audiui, de quo testificor, quia ita inueni eum purum, sicut puerum quinque annorum, qui numquam suæ carnis sensit corruptelam. Qui præterea Vir Dei cibis religiosorum, vistimentisque communibus contentus, conuersatione mitis, benignitate suauis, pietate misericors, humilitate subiectus, cæteraque virtutum varietate redimitus, honorum supercilium, mulierumque cautius consortia spernebat, non elatus, non præeminens, nec etiam disputans (quod & interdum disputanti solet esse commertium) iactator effectus, vt ampullosis (etiamsi sibi eadem inijcerentur ab alijs) in illo palestricæ syllogizationis exercitio vteretur. Totus igitur Dei famulus diuinis operibus intentus, aut eruditioni, qua præcellebat, aut prædicationi, qua notus erat, aut orationi, qua deuotus, aut Scripturæ Sacræ, qua profundus, sedulus vacabat, adeò, vt præter naturalis necessitatis, aut quietis horas, nullum sibi, aut vix temporis spatium relinqueret otiosum.

Propinquante autem die, qua de hoc sæculo migraturus esset ad Dominum, quaque deuicto, triumphatoque mundo, in perpetuas æternitates accipiendus in patria. (*nam bonorum laborum gloriosus est fructus*) cum à fælicis recordationis Gregorio Papa decimo prædecessore nostro ad Lugdunense Concilium diceretur esse vocatus, de Napoli veniens, vbi tunc temporis more solito famosè legebat vt Doctor, & per maritimam transiens oram, cum ad Monasterium Fossæ nouæ Ordinis Cisterstensium Terracinensis diœcesis parumper digressurus, per dies aliquot, antea ad ipsum, vt illuc deferretur affectuosè depostulans, peruenisset, intrans Monasterium, plenus Dei spiritu hæc verba protulisse refertur: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Quod

Quod verum esse euentus edocuit, & sacri corporis sui illic facta tumulatio manifestat: cœpit enim illic in infirmitate grauari, eadem viribus paulatim destitui, infirmitatem tamen ipsam, etsi dierũ plurium, non impatienter tolerans, sed æquanimiter totus, vt erat humilis, patientia supportans, qua sibimet leniret infirmitatem, Deo obedientia placeret, ministris de se (quod non intendebat) aggeneraret reuerentiam; imitandæ quoque patientiæ præberet exempla: adeo quod eiusdem Monasterij Fossæ nouæ fratres inibi Deo deuotius famulantes, hæc in Sancto viro religionis exempla contẽplantes, illius tunc infirmantis corpore prompti obsequijs mancipati, quem vtique tanta refertum patientia fore cernebant, singuli ligna de Sylua, singuli quæque illi opportuna, voluntariè proprijs humeris deferebant, non æstimantes fore conueniens, vt brutorum animalium humeri in portandis eidem rebus accommodis præstarent obsequia, quia tantarum virtutum prærogatiua pollebat:

Cumque in eadem infirmitate (de qua obijt) Sanctissimi Dei, & Domini nostri Iesu Christi corpus in cibum sumendum sibi, vt viaticum deferretur, totus profusus in lacrymis, & dulci amore eiusdẽ anima assueta dulcedine Dei liquefacta, inter cœtera multa decora, quæ protulit, hæc, vel similia fidei, & deuotionis verba toto illius Monasterij conuentu, multísque dictorum Prædicatorum, & Minorum ordinum assistentibus fratribus, eructasse refertur: Ego de isto Sanctissimo corpore Domini nostri Iesu Christi, & alijs Sacramentis multa docui, multa scripsi in fide Iesu Christi, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius correctioni cuncta subijcio, cuncta suppono.

Recepto deindè ab ipso eodem viuifico Sacramento, cunctisq; alijs Sacramentis Ecclesiæ debita veneratione cum lachrymarum effusione susceptis, tertio die obdormiuit in Domino, cui credididit, quem amauit, & tota mentis affectione dilexit, fidelis seruus, & prudens, non pertinax, non proprio sensui, aut prudentiæ innitens, & nulla de se scientiæ suæ opinione superbus: nam qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Vnde sapienter idem doctor, atque humiliter (vt præfati sumus) omnem suam verbo, vel scripto Doctrinam ad eiusdem Ecclesiæ fidei normam fideli deuotione reduxit, quam Petri ore diffusam stabilem no-

nerat

uerat, & nullis concussionum flatibus agitandam, cum post veram deitatis Christi recognitionem, qua respondit: *Tu es Christus filius Dei viui*, ab ipso audire meruit: *Tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & alibi: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*, dumque pro Petro rogat, pro eius Ecclesia intercedit.

Verùm, quia dignum erat, & consonum, vt quem Deus viuentem in hoc sœculo tantis suis donis, gratijsque perfecerat, assumptum in Cœlis, Sanctificatum fore hominibus declararet, multis eundem Virum, Dei post ipsius de hac vita transitum (licet, & antea nonnulla fecisse memoretur) magnisque fecit clarere miraculis, multis clarisque signis gloriosius coruscare; vt illud psalmi meritò, de ipso dicamus: *Scitote quia mirificauit Dominus sanctum suum*, sicque vita eius attestaretur miraculis, vt illius miracula vitæ testimonium perhiberent, de quibus pauca de multis, in Dei laudem, & sancti huius commendationem, & edificationem fidelium, idoneis approbata testibus, pręsentibus subnectemus.

Post septimum namq; mensem, vel circa, à die obitus ipsius Sancti Thomæ de Aquino, cum corpus eius, quod in capella Sancti Stephani dicti Monasterij per idem tempus sepultum extiterat, ad sepulchrum eiusdem primum, scilicet iuxta altare maius Ecclesiæ monasterij antedicti, vnde ad tempus per Monachos eiusdem Monasterij, timoris causa, sublatum fuerat, ne corpus ipsum omnino de dicto Monasterio tolleretur, per translationem denuo exhumatum, deferri exindè decreuissent; in apertura ipsius sepulchri eiusdem capellæ Sancti Stephani, tanta fragantis odoris suauitas emanauit, quod totam ipsam capellam, claustrumq; ipsius Monasterij, quod diffusum est, mira eadem suauitate repleuit, quæ de ipsius corpore (prout ex sollicita curiosaque Monachorum indagine est repertum) mirificè fundebatur. Propter quod maiore per Monachos concepta ad ipsum deuotione, totus conuentus processionaliter (Priore tamen dicti Monasterij cum quibusdam ex Monachis, paramentis indutis) corpus ipsum ad præfatum primum eius sepulchrum honorificè detulerunt. Hanc similem fragrantiam post septem annorum spatium quidam ex testibus, quidam verò post quatuordecim annorum spatium, se sensisse referũt, dum corpus ipsum diuersis ex causis per temporum vices sedulò in-

inspexissent. Quippe odor carnis eius munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum eius odoramenta repræsentabat; famam quoque eius claram, diffusione virtutum, & illarum armatum non celabat.

Quidam arte Chirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per se, vel ambulare nequaquam absque baculorum sustentatione, aut aliorum suffragio poterat; se Deo, & Beato Thomæ deuouens, iuxta eius tumulum incumbens, (oratione facta) sanus prosiliit, & currens, ac Deum laudans, quod meritis eius esset de tam longę infirmitatis languore curatus.

Alter quidam ex horribili quadam visione phantasmatis timiditate percussus, pedibus manibusque contractus fuit, & ore, ac facie distortus, sensibus carens, & omni virtute destitutus, ita quod loqui non poterat, sed mortuo similis videbatur, adeò vt ignem eius membris admotum nullatenus sentiret; portatus ad tumulum illius, post morulam liber, & sanus omnino ab ipso sepulchro surrexit.

Alius dum non deuotè de Sancto sentiret, virtutem Dei in Sancto, in se duplicem est expertus; infirmitatis, dum contemnit; sanitatis, dum à contempus culpa discessit; nam cum sibi deuotionis causa à quodã capellano plures venerandę reliquiæ mõstrarentur, ipse quoq; ostensor prætiosiores adhuc se habere reliquias, videlicet manum Fratris Thomæ de Aquino fateretur, illicò hunc derisoriè de ijs triumphantem, cum eas videre non curaret dicens: Sanctus non est, sed quidam Ordinis Prædicatorum Frater; tremor eum appræhendit, & caput eius ad modum magnæ cistæ grossum, & valde ponderosum sibi esse videbatur. Sed infirmitate correptus, & pœnitens, simulque de sua incredulitate dictisque deplorans, dum veniam à Sacerdote petitam obtinuit, reuerenter manum eiusdem Sancti deosculans, confestim à tremore, & inflatione capitis liberatus euasit, sensitque progredientem, vt retulit, maximũ ex dicta manu suauitatis odorem; qui odor cum ipsius curati capitio, personæque æx tactu manus eiusdem per magnum tempus inhæreret, multis eundem postmodum percipientibus, sciscitantibusque, quid esset hoc signo narrare quod acciderat (etsi nolens) miraculum cogebatur.

Notarius quidam dum ad mensam sanus accederet, surgens ab

illa, graui squinãtiæ infirmitate correptus est, duobus diebus propterea linguam mouère non potuit, & loquelam amisit. Cumque multa medicorum remedia ei adhibita: quin eadem infirmitas in augmentum procederet: non prodessent, imo de illo desperarent: ad sanctam conceptam deuotionem, vt ad tumulum eius deferretur, quem lingua non valebat, manus suæ scriptura deprompsit. Verùm cum illuc, repugnante vxore sua (quia mulieribus præfati Monasterij Ecclesiam ingredi non liceret) nequaquam duceretur, ipse sic infirmus aduertens intra se ipsum, eidem beato viro se, vt liberaret affectuosius commendauit. Cœpit ex tunc linguam ducere, meliorari, & conualere, & breui temporis interuallo perfectè curatus fuit.

Dum alius quidam per septem hebdomadas, & vltra febre quotidiana, malo hepatis, & stomachi affligeretur, quadam die Veneris cum peius haberet, auditis quibusdam miraculis, quæ per virum Dei facta esse dicebantur, cum se ad ipsum deuotius sequẽti die Sabbathi de sero, vxoris suæ suasibus, eaque præsente, deuouisset: die Dominicæ proximo in mane se præfatis infirmitatibus plene reperit liberatum.

Mulier quędam cum filium suum duorum mensium decumbentem periclitari, non immeritò formidaret, pro eo præsertim quod per menses quatuor ex surditate adeò grauata esset, vt decies exclamata, vagientem etiam puerum vix audiret, Viri sui inductione, qui mæstus vna cum illa communis filij periculo condolebat, prædicto viro Dei, vt eam ab eadem infirmitate erigeret, obnixius deuouit. Emissòque voto cum nocte secuta dormisset, in crastino die se liberatam, Sancti meritis reperit, vt optabat.

Puella gutturis sui fauces squinantiæ habens infirmitate constrictas, in tantum vt ne quid sumere solidum, aut liquidum valeret; & anhelitus sibi meatus, vt vix respirare posset, includeretur: dum deuotè se beato viro à matre persuasa commendaret, ductaque foret in crastinum ad dictum Monasterium Fossæ nouæ, superpositis gutturi suo Viri Sancti reliquijs, in quadam capsa delatis, confestim melioratam se sensit, panem comedit, perfecteque sanata rediit.

Quidam præfati Monasterij Fossę nouæ Conuersus adeò grauem in brachio dextro, & spatula dolorem patiebatur, vt ipsum brachium

chium, quod per trium mensium cum dimidio spatium detulerat suspensum ad collum, ei esset inutile, dolore præsertim vehementer afflictum. Quod cum requisitum medicorum remedium non haberet, & amplius dolore grauaretur, dum dicto Sancto pro sua liberatione se quodam emisso Voto comendasset, seque supra eius tumulum posuisset: ibidem oddormiuit, ac excitatus deinde à quodam dicti Monasterij Monacho, brachio quod linteo prius habebat incumbens collo adhuc dependenti extractum ab eo reperit, excitatorumque à somno more, dum ambas manus capiti suo vt ipsum scalperet, apposuisset, se liberatum intellexit, ac astantibus, quod notum fuerat miraculum, reuelauit.

Infans quidam quatuor annorum tumorem, & ruborem in costis, & crure vsque ad pedem patiebatur adeo afflictiuum, vt nec à matre sua, vel alio sine læsione, & clamore suo aliquatenus tangi potuisset; mouère se non poterat; & per mensem in tanto dolore, & anxietate fuit, à medicis spes curationis eius sine incisione pueruli non inueniebatur, illaque si fieret, perpetuò eum in persona futurum impeditum, mæstis amaritudine mentibus nunciabat. Deficiente natura, artisque suffragio non inuento, recursum est ad Deum, qui gloriosus est in Sanctis suis, faciens prodigia; nam mater infantuli, quæ ipsum diligebat vt mater, eum B. Thomæ deuotius commendauit, vt à dicta infirmitate sine incisione suis meritis liberaret. Delatus est puer ad Monasterium, positus super tumulum Sancti, post aliquantulam moram sanus inde surrexit.

Hæc sunt igitur testimonia tua Deus, quæ de hoc Viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis: nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei maius est. Quo animã enim cœlum possidère iam credimus, intercessorem ipsum expectamus; ac inter Sanctorum agmina, quasi stellam matutinam confidimus esse locatum. Vnde fidem tuam in nobis bonè Iesu nutris, spem erigis, dilectionis charitatem accendis. Lætetur itaque Mater Ecclesia, exultet Italia, parens Campania iucundetur, Prædicatorum Sacer ordo iam iubilet, Religiosorum deuotio cõcrepet, Doctorum turba complaudat. Animentur ad studia iuuenes, prouecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, prouecti contemplationem non deserant, mandata Dei sedulò

 exe-

exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, & sapientia humiliati exaltabit caput illius. *In medio Ecclesiæ aperuit os eius*, & *impleuit eum Dominus Spiritu sapientiæ, & intellectus, stolam gloriæ induit eum*: nam veritas (quæ est Christus) ipsa veris, non fictis doctoribus pollicetur: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*. Quamuis ipse verus iustitiæ sol stellarum illustratione non egeat, nec illarum irradiatione, cum illuminentur ab ipso, clarescat: Habitat enim lucem inaccessibilem, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius: idcircò tenebris non obscuratur, vt deficiat, aut nebulis offuscatur, vt suæ claritatis radios non diffundat.

Cœterúm, quia rationis ordo depostulat, vt triumphantem in cœlis Ecclesiam, deuota in terris militans subsequatur, illum veneratione præcipua percolat, quem in cœlestibus agminibus positum Deum glorificare cognoscitur.

Nos de Sanctitate vitæ, ac miraculorum veritate, confessoris eiusdem non semel tantùm, sed primò & secundò; non festinè, sed maturè inquiri fecimus: & per nos etiam, & Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales inquisitionem huiusmodi, exacta discussione examinauimus diligenter, vt tanto firmius, quanto maturius; tanto certius, quanto disquisitius inquisitum, & examinatum existeret, in sic arduo, difficilique negotio, procedere valeremus. Difficile namque æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore; quæ autem in Cœlis sunt quis inuestigabit? Cumque per huiusmodi nostram, & eorundem Fratrum nostrorum examinationem sollicitam, & sollicitudinem examinatam, vitam eius sanctam, & miracula vera eius meritis facta probata esse constiterit, & supplicantibus nobis idipsum humiliter, & deuotè multis tunc Prælatis apud sedem Apostolicam existentibus: de dictorum Fratrum nostrorum consilio, & assensu, authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, ac nostra, cum Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum.

Ideoque Vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus nonis Martij festum Confessoris eiusdem deuotè, ac solenniter ce-

lebre

lebretis, & faciatis à vestris subditis veneratione debita celebrari, vt pia eius intercessione, & hic à noxijs protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Vt autem ad venerabile eius sepulchrum ardentius, & affluentius, Christiani populi confluat multitudo, ac celebris eiusdem Confessoris colatur festiuitas, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui cum reuerentia illic in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & eorundem Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, vnum annum, & quadraginta dies: accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulchrum infra septem dies festum ipsum immediatè sequentes, centum dies de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus. Datum Auinioni 15. Calendas Augusti Pontificatus nostri Anno Septimo.

Clemens Papa VI. erga Sanctum hunc Doctorem Angelicum singulari deuotione affectus sacras Indulgentias fidelibus, Ecclesias nostras in ipsius festo, nec non & octo sequentibus diebus visitantibus, concessit per Apostolicam Bullam datam apud Auenionem. 8. Id. Febr. an. 1344. Pontificatus 2. quæ talis est tenoris.

BVLLA

CLEMENTIS VI.

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN Ordine Fratrum Prædicatorum, quasi solis radius, habitantibus in hac lacrymarum valle lux eruditionis relucet, dum ipsius Ordinis professorum fructuosa studia mentes fidem orthodoxam profitentium fragiles, lumine veritatis illustrant, & spinas punctionis lętiferę in horto subcrescentes Dominico nouacula labiorum succidunt, in quibus æternæ sapientiæ gratia est diffusa

fusa

fusa. Attendentes igitur quod Ordo prædictus, in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germine ineffabilis vtilitatis succrescens, illum perlucidum, a fructuosum palmitem Beatum videlicet Thomam de Aquino Confessorem, ac doctorem egregium, ex cuius sapientię, ac doctrinæ scriptis, & traditis vniuersalis Ecclesia multiplicem spiritualis vbertatis fructum recoligens, ipsius fructus odore reficitur incessante, produxit, & quod idem ordo, vt spiritualium fructuum vbertatem multiplicet, multifariam non laxatur labore: & propterea dignum, quinimo debitum, reputantes vt ordo prædictus in eadem Ecclesia longè, lateque diffusus ob honorem, & reuerentiam prædicti doctoris almifici, ac pręfati ordinis præclara merita, per sedem Apostolicam spiritualibus foueatur præsidijs, & à cunctis vbiq; qui christiana professione censentur, deuotione congrua multipliciter honoretur: vniuersitatem vestram rogamus & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad loca Fratrum dicti Ordinis imploraturi à domino in locorum ipsorum Ecclesijs vestrorum veniam peccatorum in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, vt eadem loca eò libentius, & deuotius à fidelibus frequententur, quo per hoc fideles Christi potiori dono cœlestis gratiæ senserint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatum Petri, & Pauli, Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui dictas Ecclesias ipsorum locorum vbicumq; consistentium in festo eiusdem B. Thomæ, & per octo dies festum ipsum immediatè sequentes annis singulis visitauerint, singulis videlicet eius festi, atq; alijs prædictis diebus quibuscumq; visitauerint, vt præfertur, vnum annum & quadraginta dies, de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer in domino relaxamus; & nihilominus illas easdem Indulgentias elargimur, qui locorum prædictorum Ecclesias in festiuitatibus B. Dominici Confessoris, & B. Petri Martyris, & per octauas festiuitatum ipsorum visitantibus, verè pęnitentibus, & confessis, per prædecessores nostros Romanos Pontifices hactenus sunt concessæ. Dat. Auenioni 8. Id. Februarij Pontificat. nostri an. 2.

Originalia harum Apostolicarũ litterarum sunt in Archiuio Cõuentus S. Mariæ super Mineruam, earundemq; duplicatum in Conuẽtu S. Blasij de Tibure, ex quibus propria manu hęc exscripsimus.

Vrba-

Vrbanus Papa V. ad supplicationem Hæliæ Tolosani Magistri Generalis nostri, S. Doctoris corpus restituendum Ordini, atq; in Tolosana nostra Ecclesia collocandũ voluit: Hortatusq; est Tolosanos vt in sacri corporis aduentu, singulari illud veneratione susciperent, iniungendo illis vt tanti Doctoris doctrinam, tanquam Benedictam, & Catholicam viribus totis sectarentur, data apud montem Faliscum Kal. Septemb. Pontificat. 6. qui fuit reparati orbis. 1368. Bulla Apostolica talis tenoris.

B V L L A

V R B A N I V.

Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei.

VEnerabili Fratri Archiepiscopo Tholosano, & dilectis filijs Cancellario Ecclesiæ Tholosanæ. Vniuersisque Magistris, & Rectoribus, cœterisque Clericis, & Laicis in Ciuitate, & Prouincia Tholosana commorantibus. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Laudabilis Deus in Sanctis suis, in sui maiestate mirabilis, cuius ineffabilis altitudo Prouidentię nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprænhensa, recti censura iudicij, cœlestia pariter, & terrena disponit. Etsi cunctos eius ministros magnificet, altis decoret honoribus, & Cœlestis efficiat Beatitudinis possessores, illos tamen, vt dignis digna rependat, potioribus attollit insignijs dignitatum, & præmiorum vberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat intentior excellentia cunctorum. Sic & alma Mater Ecclesia eius Sacra Vestigia insequens, & exemplo ducta laudabili, licet vniuersos in Regnis Cœlestibus constitutos studijs honorare sollicitè non desistat, egregios tamen Doctores, per quorum prælucida, & salutaria documenta eadem Ecclesia illustratur, virtutibusque, & moribus informatur, libenter, & solerter insequitur, quæ sunt Dei, præmissa debita meditatione perlustrans ad Diuini nominis honorem, gloriam, & exalta-

altationem Catholicæ fidei, salutemque fidelium ritè censuit, mirèque prouidit eosdem in vniuersali Ecclesia honorificentiæ potioris impendijs attollendos. Sanè cum Sacrum, & Venerabile Corpus Beati Thomæ de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum sit de mandato nostro ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum Tholosanam de proximo transferendum; Nos attendentes quanta à Deo scientiæ doctrina Ordinem Fratrum Prædicatorum, ac Vniuersalem Ecclesiam illustrauit, ac B. Augustini vestigia insequens, Ecclesiam eandem doctrinis, & scientijs quamplurimis adornauit; Volentésque propterea idem Corpus speciali honorificentia attoli, Vniuersitatem vestram requirimus, & hortamur in Domino Iesu Christo, Vobis nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus dictum Corpus, cum ad partes easdem trāsferetur, benignè, & honorificè suscipientes, eumque deuotè, ac venerabiliter pertractantes, faciatis ab alijs quantùm in vobis est cum debita honorificentia, ac deuotione suscipi, ac tractari. Volumus insuper, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinam tanquam benedictam, & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare. Datum apud Montem Flasconem in Kal. Septemb. Pontificatus nostri an. 6.

Cæterùm pro veritate, & fidelitate huius Bullæ ex originali depromptæ sit sequens testimonium. *Ego infrascriptus fidem facio & attestor qualiter præsens sumptum fuit extractum ex Archiuio secreto Vaticano existen. in libro Bullarum Vrbani V. an. 6. fol. 20. à tergo, & collationatum concordat. Ideo in fidem subscripsi, & meo Sigillo signaui. Romæ hac die 20. mensis Decemb. 1667.*

F. Rauizza Ep. Sydonien. Archiuij Vaticani Præfectus.

Loco † Sigilli.

Pius

Pius V. Pont. Max. eo quod S. Thomas Catholicam veritatem corde, opere, & ore roborauerit, atque vi, ac veritate doctrinæ eius hæreses cunctæ confundantur, & conuincantur, illum Militantis Ecclesiæ Doctorem Angelicum nominauit, festumque eiusdem ad instar aliorum quatuor SS. Doctorum Ecclesiæ celebrari voluit per sequentem Bullam.

B V L L A

P I I V.

Pius Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

MIrabilis Deus in Sanctis suis, qui se daturum illos in laudem, & gloriam, & honorem promisit, vt quos sicut sol in conspectu suo fulgentes ob merita sanctitatis coronat de Cælo, admirabiliter etiam honoraret in sæculo, & in eo, quod illis tribui iubet laudis, & venerationis officio, debitum quoque maiestati suæ honorem, & gloriam agnosceret. Quorum non modò vitam, sed mortem, sepulchra, monumenta, reliquias, & imagines ad catholicæ fidei confirmationem, & ad confusionem hæreticæ prauitatis, vt fælicius etiam quam in præsenti vita doceret viuere mortuos, qui in Domino moriuntur, sæpissimè dignatus est decorare, & illustrare miraculis.

Ex quo Sanctorum laudabili numero, qui catholicam veritatem, corde, opere, & ore roborarunt, Angelici Doctoris S. Thomæ de Aquino Ordinis Fratrum Prędicatorum in Cœlum assumptio multis ante annis orbi terrarum, & diuinis, & proprijs est comprobata testimonijs. Nam & miraculorum signis, quibus serui sui Thomæ perpetua veræ pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas, & certissima Christianæ regula doctrinæ, qua S. Doctor *Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit*, adductus fælicis recordationis Ioannes vigesimus secundus prędecessor

cessor noster, illo in Sanctorum numerum relato, eius diem festum nonis Martij, quo die nunc etiam colitur, anniuersario honore celebrari iussit.

Sed quoniam omnipotentis Dei prouidentia factum est, vt *Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cœlestibus ciuibus adscriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ & conuictæ dissiparentur; quod & antea sæpe, & liquido nuper in Sacris Tridentini Concilij decretis apparuit: eiusdem memoriam, cuius meritis orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur,* maiore etiam quam antea grati & pij animi affectu colendam statuimus. Quod officium nostrum præter beneficia ex illius salutari disciplina in diem magis profecta in Sacrosanctæ Ecclesiæ filios ad quorum pastoralem, paternamque curam Dei benignitati humilitatem nostram placuit euocare, postulat etiam aliqua ex parte eiusdem Ordinis Prædicatorum communio, & societas, vnde, licet imparibus meritis, nos etiam tamquam ex fonte profluximus.

Itaque primum vt in Ciuitate, & Regno Neapolitano, quod in eam Prouinciam, quæ ad salutarem omnium gentium institutionem ex nobilissima familia Aquinate clarissimum hoc dedit Ecclesiæ Dei lumen, tantum indè laudis decorisque diuina bonitas redundare voluerit; de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, atque vnanimi assensu, ipsa die Nonarum Martij, qua præstantissimus Doctor migrauit in Cœlum, posthac semper vniuersi vtriusque sexus ab omibus vetitis, ac seruilibus operibus, laboribusque abstinentes, festum Diui Thomæ solemniter sub duplici maioris officio, sicut cœteras eius generis solemnes festiuitates, quæ de ipsius Ecclesiæ præcepto seruantur, in alijs autem orbis terræ partibns, quemadmodum Sanctorum quatuor Ecclesiæ Doctorum festiuitates piæ memoriæ Bonifacij Papæ octaui, etiam prædecessoris nostri, præcepto venerantur, sic eundem festum diem Sancti Thomæ in perpetuum posthac omnes item vtriusque sexus Christi fideles celebrent, & venerentur, Apostolica authoritate statuimus, ac sancimus.

Vt verò etiam memoriæ S. Doctoris maiori studio ac pietate cultus, & debita veneratio adhibeatur, de omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli authoritate confisi, omni-

bus

bus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui in ipso S. Thomæ festiuitatis die Sacellum, vel Altare in Ecclesia S. Dominici Neapolitani situm, in quo *Scriptoris Angelici doctrina Saluatoris Crucifixi ore* (sicuti pia testatur historia) *mirabiliter probata fuit*, à primis eius diei vesperis, vsque ad occasum solis deuotè visitauerint, septem annos, & totidem quadragenas.

In cœteris autem orbis terræ partibus: ijs, qui eundem festum diem vt præfertur solemniter celebrauerint, & ad Ecclesiam, quæ apud eos fuerit, vel sacellum, aut altare sub eiusdem S. Thomæ inuocatione piè, ac deuotę accesserint; quoties id fecerint, toties centum dies de iniuncta ipsis pœnitentia, per præsentes litteras in perpetuum valituras, quas sub alijs cuiusque generis, indulgentiarum concessionibus, & illarum reuocationibus nullo modo cōpræhendi volumus, misericorditer in domino relaxamus.

Et quia difficile esset has ipsas litteras ad singula orbis terrarum loca peruenire, volumus, & authoritate Apostolica decernimus, vt earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, vbique locorum & gentium, in iudicio & extra, eadem prorsus fides adhiberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, voluntatis, relaxationis, statuti, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę-sumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.
S. Petrus S. Paulus. Pius P. P. V.

Ego Fr. Card. Pisanus Ep. Ostien.
Ego Io: Card. Moronus Ep. Portuen.
Ego C. Card. Madrutius Trid. Ep. Prænest.
Ego A. Card. Farnesius Ep. Tusculan. Vic.
Ego Io: Mi. Card. Saracenus Ep. Sabinen.

. . . .

Ego Io: Card. Politianus.
Ego Io: Bapt. Cicada Card. S. Clem.
Ego B. Card. Granen.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io: Card. Capisuccus.
Ego Clemens Card. Aracœli.
Ego Io: Card. Sabellus.
Ego Io: Antonius Card. S. Georgij
Ego Aloysius Card. Cornelius
Ego Bernardinus Card. Saluiatus
Ego R. S. Card. à Bordesia
Ego Lud. Card. Sermoneta
Ego Antonius Card. Granuellanus
Ego Fr. Card. Pacecco.
Ego M. Ant. Card. Amulius.
Ego Hier. Card. Corrigien.
Ego io: Franc. Card. de Gambara.
Ego Hip. Card. Ferrarien.
Ego Ind. Card. Aragon.

. . . .

Ego Io: Franc. Card. Commendonus
Ego M. Ant. Card. Bobba.
Ego Vgo Boncompagnus Card. S. Sixti
Ego Alex. Card. Sfortia
Ego Alex. Card. Criuellus
Ego Bern. Card. Lomellinus
Ego Guilielmus Card. Sirletus
Fr. Michael Bonellus Card. Alex.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus
Ego Vitellotius Card. Vitellius Camerarius

. . . .

. . . .

Ego Fr. Card. Alciatus.

H. Camvn.

FVit autem Bulla supradicta extracta ex originali, vt ex sequenti testimonio patet,

Ego

Ego infrascriptus fidem facio, & attestor qualiter præsens sumptum fuit exaratum ex Archiuio secreto Vaticano existen. in libro Bullarum Pij Papæ V. an. 2. & a Natiuitate D.N.I. Christi 1566. & 1567. sub. num. 29. fol. 428. cum titulo:

Pro celberatione Festi Sancti Thomæ de Aquino Statutum cum Indulgentia, & collationatum concordat. Ideo in fidem subscripsi, & meo Sigillo signaui. Romæ hac die 20. Decemb. 1627.

F. Rauizza Episcop. Sydonien. Archiuij Vaticani Præfectus.

Loco † sigilli

Et Sixtus V. hoc idem confirmauit in Bulla data in fauorem S. Bonauenturæ Ecclesiæ Doctoris, quæ est talis

B V L L A
S I X T I V.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei.

TRiumphantis Hierusalem gloriam sempiternam, & Sanctorum cum Christo felicissimè regnantium, numquam marcescentes coronas cum gaudio admirans Sancta Mater Ecclesia adhuc in terris militans, ad eamdem verò iustitiæ coronam festinans, Deum in Sanctis suis mirabilem prædicare non cessat, &c.

Et infra §. 10. Subdit. Diuino enim illius munere, qui solus dat spiritum scientiæ; & sapientiæ, & intellectus, quique Ecclesiam suam per sęculorum ætates, prout opus est, nouis beneficijs auget, nouis præsidijs instruit, inuenta est à maioribus nostris sapientissimis viris Theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, Angelicus S. Thomas, & Seraphicus S. Bonauentura clarissimi huius facultatis professores, & primi inter eos,

qui

qui in Sanctorum numerum relati sunt; excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus, & vigilijs excoluerunt, atque ornarunt, eamque optimè dispositam, multisque modis pręclare explicatam posteris tradiderunt, &c.

Et infra §. 13. sequitur. Sanè ad id quoque non mediocriter excitati sumus exemplo sanctæ memoriæ Pij Papæ V. prędecessoris nostri de Christiana Republica optimè meriti, quem vt Parentem adhuc reueremur, & colimus. Is enim religiosa pietate, & singulari deuotione permotus, qua afficiebatur erga S.Thomam de Aquino Ordinis sui decus, & Ecclesiæ Catholicæ ornamentum, cupiens eodem modo eundem Sanctum ob eius præstantissima in Catholicam Ecclesiam merita cõgruis honoribus exornare, præter alia, hoc iussit, atque decreuit, vt illius festus dies quotannis duplicis officij ritu ad instar Sãctorum quatuor ecclesiæ Doctorum perpetuó celebraretur, quod & S. Bonauenturæ Doctori eximio tribui debere ęquum profectò existimamus, cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinæ, meritorum coniunctio, & similitudo intercedat. Hi enim sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & charitatis pinguedine, & scientiæ luce totam ecclesiam collustrant. Hi singulari Dei prouidentia eodem tempore tanquam duę stellę exorientes ex duabus clarissimis Regularium Ordinum familijs prodierunt, quæ sanctę Ecclesiæ ad Catholicam Religionem propugnandam maximę vtiles, & ad omnes labores, & pericula pro orthodoxa fide subeunda paratæ semper existunt, ex quibus, tanquam ex fertili, & benè exculto solo, quotidie per Dei gratiam foecundæ, & fructuosæ plantę procreantur, hoc est viri doctrina, & sanctitate prestantes, qui Petri nauiculæ tot fluctibus agitatæ, & Romano Pontifici eius clauum non sine magna sollicitudine tenenti, fortem, & fidelem operam nauant. Hi duo Sancti cum essent coęui, iisdemque studiis dediti, condiscipuli, simul Magistri, pari ratione à Gregorio X. Summo Pont. cum ambo ad Concilium euocarentur, honorati, & in huius vitæ peregrinatione fraterna charitate spirituali familiaritate sanctorum laborum societate valde coniuncti fuerunt, & denique pari gressu ad coelestem patriam commigrantes, pariter felices, & gloriosi illa sempiterna beatitudine

dine perfruuntur, vbi eodem charitatis affectu, vt piè credimus, pro nobis, in hac lacrymarum valle laborantibus orant, diuinamque opem implorant vt meritò idem Sixtus IV. hos duos Sanctos persimiles, & geminos in Christo fratres agnoscens, statuerit sanctum Bonauenturam consimili venerationis, & honoris prærogatiua, atque sanctus Thomas decorandum esse.

Et §. 16. subdit. Et nihilominus vt sapientissimi huius Doctoris gloriosa recordatio, si non pro ipsius dignitate, at saltem pro humana tenuitate ob ingentia illius merita ardentiori studio recolatur fel. record. prædecessorum nostrorum Bonifatij VIII. qui de sanctis quatuor Doctoribus, & Pij Papæ V. de prædicto Sancto Thoma eadem præceperunt, exemplo adducti, pręcipimus vt eiusdem S. Bonauenturæ dies festus in omnibus Christiani orbis partibus sub duplici officio à cunctis personis celebrari, &c. Dat. Romę apud Basilicam SS. Duodecim Apostolurum anno Incarnnationis Dominici 1588. pridie Id. Martij Pontificatus nostri anno tertio.

Ex Bullario Romano.

Principes, Magnates, Proceres, nec non Deputati fidelissimæ Neapolitanæ Ciuitatis die 19: Ianuarij an. 1605. in templo Sancti Dominici congregati decreuere Angelicum Thomam inter Sanctos eiusdem Ciuitati tutelares, ac Patronos ascribendum fore cum decreto.

Decretum autem prædictorum Deputatorum ciuitatis Neapolitanæ est sequentis tenoris.

QVod virum sanctissimum Thomam Aquinatem nouum patronum vrbi adsciscimus, vt ea res inuictissimo, atque Augustissimo Regi nostro Philippo cunctis patrum ordinibus, populoque Neapolitano prospera, & lęta eueniat, votis omnibus precamur. Igitur quod

Omnibus innotescat hodie 19. mensis Ianuarij anni 1605. indict. 3. Constituti in nostra præsentia Fuluius Constantius Marchio Corleti, & supremi à latere consilij Regens, Ioannes Simon Moccia. Horatius Ligorius, Marcus Antonius Mormilis, Alphonsus Ligorius, Franciscus Mormilis de Sedili portæ nouæ. Felix de Marra, Marcus Antonius Caracciolus de Sedili Capuanæ. Ioan.

Paulus

Quare præfati Deputati ciuitatis nomine eius voluntatem adimplere volentes, Thomam de Aquino Doctorem Angelicum in Patronum, & Protectorem accipiunt, atque inter cęteros vrbis Tutelares ascribunt, eundemque Sanctum submissè, atque enixè obsecrant, vt assiduas pro ea ad Deum preces effundat, vrbemque à peste, fame, & bello, cęterisque infortunijs vindicet, ac tueatur. Et in fidem, ac tutelam acceptam, Ciues, atque incolas omni bonorum genere cumulet, ac diuinum præcipuè obsequium nobis impetret. Pręterea Philippum Tertium Regem nostrum Catholicæ fidei defensorem acerrimum cum prole sua protegat, & foueat, sanctam, iustamque eius voluntatem fortunet, & dirigat, eique longęuam, ac felicem ætatem exoret. Prædicti denique Deputati eiusdem sancti Thomæ augustissimam imaginem eius brachij dexteri partem, quo scribente profligauit hæreses, sacras literas illustrauit, quam fid. huic Ciuitati Fratres Dominicanæ Religionis elargiti sunt, in argentea Theca repositam ad sacellum illud templi maximi, quod thesaurū appellamus, quodue ceterorum patronorum asseruandis reliquijs dicatum est, asportari, & collocari volunt, huiusque traslationis diem, qui est hodie, singulis annis, vt diem festum colendum, ac celebrandum fore pollicentur. Iurantes ad sancta Dei Euangelia, meque Notarium publicum rogauere, vt hæc omnia ad futuram rei memoriam meis tabulis referrem, vniuerso acclamante populo, ac S.Thomæ nomen sæpius iterante, & ad sua vota inuocante.

His peractis, Romam petierunt Deputati ā ciuitate Neapolitana nobiles viri pro facti decreti Apostolica confirmatione, & ad Clementis VIII. Pontificis pedes prouoluti, voti compotes effecti sunt, tali decreto consequto.

lutares. Vnum id monemus ciuitatem istam, tamquam nouo spõso è cęlo venienti, occurrere oportere circumdatam monilibus, sicut sponsam ornatam viro suo, vt ille vestimentorum, hoc est bonorum operum odore suauissimo captus, charitatis vinculo sponsę adhęreat arctiore. Ratum id habeat, qui bonis omnibus propitius est Deus, & quam nos ad augendam pietatem vestram vobis nunc benedictionem nostram impartimur, sua idem sanctissima gratia prosequatur cumulatissimè. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 22. Nouemb. 1603. pontificatus nostri anno duodecimo.

Martius Malacrida.

Institère iterum Deputati apud Clementem Pont. vt officium de S. Thoma, tanquam de ciuitatis eiusdem Patrono ab Ecclesiasticis cunctis, etiam Regularibus, publicè, ac priuatim recitaretur perpetuis futuris temporibus, quibus benignè annuit Pontifex, dato Apostolico Breui, doctrinam eiusdem S. Doctoris egregiè commendante, quod tale est.

BREVE

CLEMENTIS VIII.

A tergo

Dilectis filijs nobilibus viris Ciuitatis Neapolit. Deputatis.

Intus vero:

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti filij nobiles viri, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sicut Angeli in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ineffabili Dei prouidentia, non modò singulorum hominum curam gerunt, verum etiam ipsis Vrbibus, & Prouincijs præsident: ita Sancti cum Christo regnantes, qui vitam meruerunt Angelorum, non solum priuatos

fice prædeceſſore noſtro ciuitatis veſtræ Archiepiſcopatum,inſigni cum modeſtia recuſauerit.Meritò Deus hoc tempore vobis in animum induxit, vt eum, qui cum in terris eſſet, vobis ad ſummam humilitatem præeſſe noluit, nunc cum in cælis eſt, propter eiuſdem ſanctitatem,in numerum veſtrorum patronorum adſciſcatis. Qua quidem in re nos pietatem, & conſilium veſtrum plurimum in Domino commendantes, electionem à vobis factã authoritate Apoſtolica,tenore præſentium approbamus,illique noſtræ,& Apopoſtolicæ confirmationis robur adijcimus,& vt in poſterum idem S.Thomas inter cæteros ciuitats veſtræ patronos connumeretur, vtque etiam ab vniuerſo Clero ſæculari, & regulari vtriuſq;ſexus cuiuſuis Ordinis eiuſdem ciuitatis officium de ipſoS.Thoma,tamquam de patrono publicè, & priuatim recitari debeat, perpetuò ſtatuimus, ac præcipimus, & mandamus. Sicque ab ipſis, & aliis, ad quos ſpectat,obſeruari debere, irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, & ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Deum bonorum omnium auctorem, & parentem vobis omnibus precamur,vt meritis quoque,ac precibus huius veſtri noui Protectoris omnes humani generis hoſtis inſidias à vobis longe repellat, ciuitaem pace cuſtodiat, & vniuerſum Regnum cæleſti benedictione tueatur.

In hunc modum completur Breue hoc,impreſſum Romæ, & in Actis Capituli Generalis an. 1612. in Vrbe celebrati, appoſitum cum alijs, cuius mentionem facit Paulus V. in ſuo Breui, dato an.1607. infra referendo,in hunc modum. *Fæl.record.Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter dictorum Deputatorum & Electorum pietatem, & conſilium plurimum in Domino commendans, electionem ab ipſis factam per ſuas,in ſimili forma Breuis litteras, Apoſtolica auctoritate confirmauit, & vt in poſterum idem S. Thomas inter cæteros ciuitatis præfatæ ſanctos Patronos connumeraretur, atque etiam ab vniuerſo Clero ſæculari, & Regulari vtriuſque ſexus,cuiuſuis Ordinis eiuſdem ciuitatis officium de ipſo S.Thoma tanquam de patrono,publicè, & priuatim recitari deberet perpetuò ſtatuit, & præcepit.* In primo autem Breui at Deputatos Ciuit Neap. dato 22. Nouemb.an. 1603. à nobis ſupra relato, nullum habetur verbum de Officio S. Thomæ tamquam Patroni ab omnihus Eccleſiaſticis recitando.

Quia

tè ardentiori quadam voluntate annuimus, quod & nos ipsi Angelico huic Doctori, & nostro, & totius Christianæ Ecclesiæ nomine plurimum debemus, & tua in eum extat pietas singularis. Hoc igitur patrono vnà cum alijs vtatur Ciuitas, hunc in rebus ad vsum vitæ, ad salutem animarum necessarijs fautorem, atque adiutorem imploret, nostrique saltem & tui, qui id ipsum optas tantopere, publicisque, & priuatis precibus teneat memoriam, colatque beneficij accepti recordatione perpetua. Firmû hoc, quod nos auctoritate Apostolica, & benedictione nostra habemus, firmius faciat Deus sua gratia, & benedictione sanctissima. Datum Romæ apud S.Petrum sub annulo Piscatoris die xxij. Nouembris M.DC.III. Pontificatus nostri anno duodecimo.

His Apostolicis indultis constabilitus est Neapolitanæ Ciuitatis Patronus Angelicus Doctor, cuius dexteri brachij partem, in argentea theca inclusam, atque in sacro Reliquiarum thesauro apud Templum Maximum asseruandam, dono dederunt Patres nostri Regij Conuentus Sancti Dominici de Neapoli eidem fidelissimæ Ciuitati.

Nec tantis fauoribus, gratijsq; Apostolicis ex aturata Neapolitanorum erga S. Doctorem pietas fuit: nam iterum in Ecclesia S. Dominici conuenientes, festum diem anniuersarium translationis brachij eiusdem, quæ in 20. Ianuarij inciderat, voluere ex communi voto celebrandum tamquam de præcepto, supplicandumq; propterea Pontificem pro approbatione, ac confirmatione Apostolica facti decreti. Annuit Clemens, celebratumque est festum huiusmodi translationis 20. die Ianuarij vsque ad annum 1607. quo institere iterum Neapolitani apud Paulum V. Pontificem Max. vt Solemnitatem hanc in antecedentem diem 19. Ianuarij transferre dignaretur, eo quia die 20. festum S.Sebastiani Mart. duplici officio ab vniuersali Ecclesia celebratur: & insuper libellum supplicem eidem porrexere pro processione solemni illa die habenda; quorum iustis, ac pijs supplicationibus satisfacturus Pontifex, talem dedit Apostolicum decretum.

BREVE

cio in ciuitate, & diœcesi Neapolitana celebrandum esse ordinauit. Cumque subinde compertum fuisset, sub eundem diem 20. Ianuarij, festum diem S. Sebastiani martyris cadere qui pariter duplici officio celebratur, & ea propter eodem die festum translationis huiusmodi modo præmisso celebrari non posse. Nos eorundem Deputatorum, & Electorum suoplidationibus nobis tunc porrectis inclinati, per alias nostras similes literas, celebrationem Anniuersarij duplici officio in ciuitate, & diœcesi Neapolitana singulis annis faciendam iuxta ritum Breuiarij Romani in diem 19. Ianuarij transtulimus, vtque in ciuitate, & diœcesi prædictis singulis annis in perpetuum die 16. Ianuarij festum translationis brachii S. Thomæ de Aquino ad præscriptum Breuiarij Romani ritum celebrari posset, concessimus, & indulsimus. Postmodum verò (sicut nomine eorumdem Deputatorum, & Electorum coram nobis nuper propositum fuit) eiusdem ciuitatis Deputati in Ecclesia sancti Dominici prędictæ ciuitatis congregati, nomine totius ciuitatis, & frequentissimo Nobilium cœtu, ac plurima cum ciuium, tum externorum multitudine adstante, per publicam desuper cōfectum instrumentum, dictum B. Thomam de Aquino Doctorem Angelicum, in Patronum, & Protectorem dictæ ciuitatis acceperūt atque inter cęteros eiusdem ciuitatis Tutelarem Sanctos adscripserunt, eumdem Sanctum subnixè, & enixè obsecrantes, vt assiduas pro dicta ciuitate ad Deum preces fundat, eamque à peste, fame, & bello, cęterisque calamitatibus vindicet, ac tueatur, pollicentes etiam se medio eorum iuramento, aniuersarium diem translationis huiusmodi tamquam festum de præcepto se celebraturos, prout in dicto Instrumento plenius dicitur contineri. Quare iidem Deputati, & Electi Nobis humiliter supplicari fecerunt, vt pio eorum B. Doctorem honorandi studio huiusmodi auctoritate Apostolica suffragari dignaremur. Nos literarum prædictarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso habentes, ac ipsos Deputatos, & Electos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis (si quibus quomodolibet innodati existunt) ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, non solum huiusmodi, sed etiam dilecti filij

nostri Octauij tituli S.Praxedis S.R.E.Presb.Cardinalis Aquauiua nuncupati Ecclesiæ Neapolitanæ ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulis, supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, diem prædictum 19. Ianuarij, tamquam anniuersarium translationis brachii S.Thomæ perpetuis futuris temporibus in dicta ciuitate Neapolitana diem festum de præcepto fore, & esse, & vti talem ab omnibus, & singulis ipsius ciuitatis incolis custodiri, & celebrari inuiolabiliter debere eadem authoritate statuimus, ordinamus, præcipimus, ac mandamus. Ac præterea quoniam,vt eadem propositio subiungebat, publicas etiam processiones eodem die celebrari, seu fieri prædicti Deputati,& Electi desiderant. Nos, vt omnia ritè, & ad animarum ædificationem in Domino peragantur, easdem processiones nunc, & pro tempore existentis dictæ Ecclesiæ Neapolitanæ Præsulis, quando, ac quomodo illi videbitur, peragi volumus, & mandamus, irritum, & inane decernentes quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate,scienter,vel ignoranter contigerit attentari, contrarijs non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 17. Decembr. 1607. Pontificatus nostri anno tertio.

Scipio Cobellutius.

Nouissimè Alexander Papa VII. in fauorem doctrinæ Angelici Doctoris talè dedit Apostolicum Breue ad Doctores Louanienses.

B R E V E

A L E X A N D R I V I I.

Alexander Papa VII. Dilectis filijs Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Litteras vestras die 20. Martij datas accepimus, & in eo sanè quod quinque propositiones illos tam in felicis recor-

cordationis Innocentij X. prædecessoris nostri Constitutione ; quàm in alia nostra postea damnatas tantopere detestamini, vt neminem admittere ad gradus Academicos velitis, nisi prius religiosam obseruantiam prædictarum Constitutionum promittat, & iuret. Obedientiam, & Zelum vestrum vnicè commendamus, atque adeo speramus vos nedum id egregiè, persanctèque impleturos, verùm etiam omnibus alijs obedientiæ documentis effecturos, vt omni rerum præteritarum ex hominum animis expulsa, & penitus abolita memoria, pristinum decus existimationi, & laudi antiquæ vestræ restituatur. Ad hanc igitur salutaris obsequij gloriam verè, constanterque promerendam, quamuis vti credimus eximiè curentes vos dilecti filij, etiam atque etiam quantùm possumus hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus quin præ singulari scientiæ, pietatisque studio, sanam, & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes, & SS. Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & aduersus Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis : nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, vt asseritis, ac impensè reuereri velitis, quorum profecto sanctissimorum virorum penes catholicos vniuersos ingenia, & omnem laudem suspessa nomina noui præconis planè non legent. Porro bonorum omnium largitorem Deum oramus vt vobis, dilecti filij cum pacis diuina tandem clementia restitutæ prosperitate cœlestis gratiæ munera tueri, & augere quotidie pro sua misericordia velit, ad quod feliciter consequendum Apostolicam benedictionem vobis peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 7. Augusti Pontificatus nostri anno 6.

Inter cœtera encomia, quibus ab Apostolica Sede S. Doctor

Thomas effertur, hoc Alexandri Pontificis singulari animaduersatione dignum est, si alterius Ecclesiæ Doctoris dictis conferatur. Nam D. Augustinus Sermone 124. de tempore loquens de negatione Apostolorum Principis dixit. *Petrus labia puellæ non sustinuit, sed vbi loquta est, ille turbatur Processit sermo puellæ, & immobilis columna concussa est.* Si immobilis columna, ac fundamentalis petra, super quam Ecclesia ædificata est à Christo, ad vnius puellæ vocem concussa est, quanta erit laude efferendus D. Thomas cuius Doctrina, ac dogmata inter tot, tantaque hostium Ecclesiæ tela, ac conamenta, inconcussa sunt?

DECRETVM

PARISIENSIS VNIVERSITATIS

in fauorem Doctrinæ D. Thomæ Vniuersitatis præsentes.

VNiuersis præsentes Literas inspecturis Stephanus permissione diuina Parisiensis Episcopus salutem in omnium Saluatore. Magistra rerum experientia certis indiciis euidenter demonstrat, multa quibusdam temporibus ordinato consulte nouis emergentibus, causis succedentibus temporibus in contrarium debere consultius immutari. Dudum siquidem memoriæ felicis quidā prædecessores nostri Pariensis Episcopi quosdam articulos, nè forsitan eos malè intelligentes caderent in errorem tauquam erroneos per excōmunicationis sententiam damnauerunt, & interdixerunt expresse. Quorum tamen nonnulli doctrinam eximij Doctoris beati Thomæ de Aquino de ordine Fratrum Prædicatorum tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum sententiarum promulgationem venerabiles viri Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Dominæ nostræ, sicut veritatis Zelatores intimius cnnsiderantes, nec non doctrinæ, ac famæ beati Thomæ prædicti iniustam denigrationem, veritatis occultationem,

& san-

& sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliqualem dehonorationem per venerabilem Magistrum Anibaldum Decanum. Attrabatensem Archidiaconum Sacræ Theologiæ Doctorem, & Dominum Petrum de Sagello Parisiensem Canonicum eorum propter hoc nuntios ad nos specialiter destinatos, nos requisierunt, nobisque supplicauerunt quatenus vocatis omnibus sacræ Theologiæ Doctoribus, ac cum eisdem communicato consilio, & deliberatione habita diligenti, & cum alijs etiam, qui de talibus, & in talibus possunt, viam aperiremus, per quam in prædictis articulis in quantum doctrinam Beati Thomæ prædicti,& doctoris egregij tangere possuat, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Sancti prædicti, & Doctoris venerabilis honorem, & reuerentiam seruaremus. Nos igitur attendentes cum eis, quod Sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium fidelium, & magistra fidei; & veritatis in firmissima Petri, Christi Vicarij confessione fundata, ad quam velut vniuersalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, declaratio tenendorum, & confutatio errorum, præfatum doctorem eximium, & venerabilem, cuius doctrina fulget Ecclesia, vt sole luna, nuper sanctorum Confessorum catalogo adscribendum decreuit; diligenti discussione, & examinatione habita super vita sancta, & doctrina clara ipsius, ipsumq; quo ad vitam puram, & doctrinam salubrem orbi terræ dignum, & commendabilem prædicauit. Cupientes igitur, gloriosum Deum in Sanctis suis apud fidelium deuotionem in terris gloriosius exaltari, ac Sanctissimæ Matris nostræ prædictæ desiderantes vestigia sancta imitari, dictumqxe Confessorem, & Doctorem gloriosum feliciter in cælis regnantem apud terrigenas deuotius, & celebrius honorari, præsertim cum fuerit vniuersalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radiens Clericorum, fons Doctorum, vniuersitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum,& candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & scholas doctrinæ sanæ ingrediuntur, lumen viderent claritate vitę, famæ claræ, & scientiæ lucidæ velut stella præfulgida, & matutina refulgens, per venerabiles, ac dilectos Consiliarios nostros fideles Magistrum Hugonem de Bisuntino Cantorem Parisiensem, Magistrũ Stephanum de Nouauilla, & Dominum Oddonem de Zenonis

Cano-

Canonicum Parisiensem Inquisitione sacra super dictis articulis apud Doctores Theologicæ facultatis in eorum congregatione generali gentium, & non regentium, secularium, & regularium ad hæc specialiter conuocata, comperto per Dei gratiam dictum Confessorem beatum, ac doctorem egregium nil sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod scientiæ fidei, vel moribus aduersetur, de Consilio venerabilium virorum, Decani, & Capituli Parisiensis, & venerabilis Patris Domini Gulielmi Dei gratia Viennensis Archiepiscopi Sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum viginti trium Magistrorum in Theologia vna cum reuerendo Patre supradicto in literis cum earum sigillis per præfatos Commissarios nobis missos, nec non & triginta nouem Bachalarioque in Theologia super hæc per literas eorum proprijs subscriptionibus & sigillis munitam super consulenti, & rogantium humiliter & deuotè, & aliorum Doctorum solenni, ac maturo consilio super hoc habito supradictam articulorum condemnationem, & excommunicationis sententiam quantum tangunt, vel tangere asseruntur sanam doctrinam sancti Thomæ prædicti & Doctoris eximij ex certa scientia tenore præsentium totaliter annullamus, in cuius confirmationis testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum apud Bertiliacum Anno Domini MCCCXV. Die Iouis ante sacros cineres.

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA in sæculorum sæcula.